Cicero, Marcus Tullins
Paradoxa

m. a.

ULLII CICERONIS
PARADOXA
AD
M. BRUTUM.

CENSUIT ET ANIMADVERSIONIBUS
INSTRUXIT

J. BORGERS,
HEOR. MAG. ET LITT. HUM. DOCTOR.

Leyden
LUGDUNI BATAVORUM,
) S. ET J. LUCHTMANS,
ET
NOVIOMAGI,
VIDUAM VIEWEG ET FILIUM.
1826.

M. TULLII CICERONIS
PARADOXA
AD
M. BRUTUM.

RECENSUIT ET ANIMADVERSIONIBUS
INSTRUXIT

H. J. BORGERS,
PHIL. THEOR. MAG. ET LITT. HUM. DOCTOR.

Leyden
LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ET
NOVIOMAGI,
APUD VIDUAM VIEWEG ET FILIUM.
1826.

VIRIS

AMPLISSIMIS NOBILISSIMIS

ARENDTIO FRANCISCO VAN DEN STEEN,

JCto. Regionis Gelriae Ordinibus adscripto. Civitati Noviomagensi regundae Triumvirûm primario. Praesidi.

UT ET

LUDOVICO JOANNI VAN DER LISSE,

Med. Doct. Urbis Noviomagensis Senatori. Judici Pacificatori in dioecesi Noviomagensi.

THEODORO MARTINO GUILIELMO VAN SCHENCK VAN NYDEGGEN,

JCto. Nobili. Urbis Noviomagensis Senatori. In Curia primae instantiae Judiciali, quae Noviomagi est, Judici.

EMANUELI FRANCISCO JOSEPHO VAN DEN GHEYN,

JCto. Urbis Noviomagensis Senatori. Judiciali primae instantiae Curiae, quae Noviomagi est, Judici ad causas Instruendas.

GUILIELMO ENGELEN VAN PYLSWEERT,

JCto. Equestri Ordini in Gelria adscripto. Urbis Noviomagensis Senatori. Aggeribus in Imperio Noviomagensi tuendis Collegio Supremo, ab Actis.

GYMNASII NOVIOMAGENSIS CURATORIBUS LITTERATISSIMIS

Hasce exercitationes ea qua decet reverentia

DICAT

AUCTOR.

L. S.

Quod multis accidit, ut, quamvis plura quotidie per amoenissima loca stadia conficiant, nullam tamen ex locorum varietate voluptatem, nullos nec ad delectationem, nec ad usum inde percipiant fructus, nisi ut eos fessos de via arctior complectatur somnus; idem fere iis, qui infinitam librorum copiam deinceps legunt, usu evenit, ut ex inconsiderata illa lectione nec ad ipsorum, nec ad litterarum emolumentum quidquam redundet.

Quod cum ita putarem, verissimum mihi semper visum est consilium, quod tironibus dare solebat WYTTENBACHIUS, *vir inter literatissimos princeps, cum diceret: » Vehementer errant, qui omnium auctorum monumentis pervolutandis doctiores se fieri rati, nullam iis adhibent*

co-

cogitationem nec meditationem. Tu contra unum tibi elige scriptorem, quem diligenter accurateque legas, ad quem omnia, quae cum apud ipsum, tum apud alios notatu digna offenderis, referas.» Summi igitur viri dictis parere conati sumus, sumtis Ciceronis Paradoxis, in quibus omnem operam nostram poneremus. Hunc autem libellum potissimum elegimus, quod et orationis elegantia, et argumenti suavitate, nos quasi vi sua ad sese alliciebat, atque trahebat.

Textum dedimus ex recensione Ernestina, a qua, nisi lectionis varietate ab aliis notata, vel Codicum Lugd.-Batavorum auctoritate coacti, vix discessimus. Editionis Moguntinae Principis, anni 1465, *et Codicum Vossianorum MSS. lectionem, textui subjiciendam curavimus. Quorum praesidiorum nuper Leidae nobis copiam fecit* GEELII, *viri inter eruditos officiosissimi, singularis humanitas. Cui viro non possum committere, quin hoc loco publice gratiam referam maximam.*

Argumentum, quod in Paradoxis tractavit Ci-

Cicero, non ubique attigimus, ne ea recoqueremus, quae dedit Lipsius, in Man. ad Ph. Stoicam, et e recentioribus collegerunt Tennemannus et Tiedemannus; quibus addantur, quae indicavit Krugius, Hist. Phil. antiqui temporis.

De tempore, quo hic libellus fuerit confectus, omnes fere inter se consentiunt Viri Docti. Vere igitur anni U. C. 707, Bruti nomini hoc munus inscriptum videtur, cum nuntius de Caesaris victoria in Africa, et de morte Catonis Uticae, Romam nondum perlatus esset. De hoc argumento egerunt Schutzius et Gernhardus in Prolegomenis ad Paradoxa, uterque copiose et eleganter, licet hujus nobis probabilior videtur sententia. Ciceronem enim existimat V. D. mores magis suorum hominum, quam certos quosdam viros perstrinxisse. Hinc etiam efficitur, ut decennium illud, quod secundum Schutzium inter quartum Paradoxon et Prooemium effluxerit, plane tollatur.

Antequam vero hujus praefatiunculae finem faciam, Tu mihi appellandus es, BAKI *vir clarissime, Promotor aestumatisse, quem, post*

WYT-

WYTTENBACHIUM, *nactus sum doctorem inter doctissimos humanissimum.*

In Tuam enim disciplinam deductus, quod Venerandus ille senex de Te praedicare solebat, litterarum, quas profiteris, interpretem Te cognovi eum, quo duce nemo non earum studio incenditur; morum Tuorum integritatem perspexi eam, quam non imitari turpissimum existimo.

Verum, quid est aliud, verecundiae fines transire, nisi plura hic addere. Quare Tu, V. C. sic velim tibi persuadeas, me Tui colendi, observandi, diligendi studiosiorem esse neminem.

Scripsi Noviomagi. Kal. Mart. 1826.

M. TULLII CICERONIS

PARADOXA

AD

M. BRUTUM.

PROOEMIUM.

Animadverti, Brute, saepe Catonem, avunculum tuum, cum in senatu sententiam diceret, locos graves ex philosophia tractare, abhorrentes ab hoc usu forensi et publico: sed dicendo consequi tamen, ut illa etiam populo probabilia viderentur. Quod eo majus est illi, quam aut tibi, aut nobis: quia nos ea philosophia plus utimur, quae peperit dicendi copiam, et in qua dicuntur ea, quae non multum discrepant ab opinione populari. Cato autem perfectus (mea sententia) Stoicus, et ea sentit, quae [1] non sane probantur in vulgus: et in ea est haeresi, quae nullum sequitur florem orationis, neque dilatat argumentum; [2] minutis interrogatiunculis, quasi punctis, quod proposuit, efficit. Sed nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile: nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione, et tanquam excolatur.
Quod

1 Cod. Voss. N. 10. quae non plane probantur.

2 Cod. 10. *Sed* in margine adscriptum. Ed. Princ. Mog: Sed minutis

Quod cum ita putarem, feci etiam audacius, quam ille ipse, de quo loquor. Cato enim duntaxat de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude virtutis, de Diis immortalibus, de caritate patriae, Stoice solet, [1] oratoriis ornamentis adhibitis, dicere. [2] Ego vero illa ipsa, quae vix in gymnasiis, et in otio Stoici probant, ludens conjeci in communes locos. Quae, quia sunt admirabilia, contraque opinionem omnium, (ab ipsis etiam παράδοξα appellantur) tentare volui, possentne proferri in lucem, [3] id est, in forum, et ita dici, ut probarentur, an alia quaedam esset erudita, alia popularis oratio: eoque scripsi libentius, quod mihi ista, παράδοξα quae appellant, maxime videntur esse Socratica, longeque verissima. Accipies igitur hoc parvum opusculum, lucubratum his jam contractioribus noctibus: quoniam illud majorum vigiliarum munus in tuo nomine apparuit; et degustabis genus hoc exercitationum earum, quibus uti consuevi, cum ea, quae dicuntur in Scholis Θετικά, ad nostrum hoc oratorium transfero dicendi genus. Hoc tamen opus [4] in acceptum ut referas, nihil postulo. Non est enim, ut in arce poni possit, quasi illa Minerva Phidiae; sed tamen, ut ex eadem officina exisse appareat.

PARADOXON I.

Ὅτι μόνον ἀγαθὸν, τὸ καλόν.

Quod honestum sit, id solum bonum esse.

I. Vereor, ne cui vestrum ex Stoicorum ho-

1 Cod. 10. Ed. Princ: nullis oratoriis orn.
2 Cod. 10. Ego vero tibi illa. Cod. Voss. n. 84 et Ed. Princ: Ego tibi illa ipsa.
3 Cod. 10. 84 Ed; Princ. l. e. in forum.
4 Cod. 84 in acceptum ut referas. — Cod. 10. Ed: Princ. in apertum.

hominum disputationibus, 'non ex meo sensu depromta haec videatur oratio: dicam tamen, quod sentio; et dicam brevius, quam res tanta dici poscit. Nunquam mehercule ego neque pecunias istorum, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas, quibus maxime adstricti sunt, voluptates in bonis rebus aut expetendis esse duxi: [1] quippe cum viderem, rebus his circumfluentibus, ea tamen desiderare maxime, quibus abundarent. Neque enim expletur unquam, nec satiatur cupiditatis sitis: neque solum, ea qui habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu. In quo equidem continentissimorum hominum, majorum nostrorum, saepe requiro prudentiam, qui haec imbecilla et commutabilia pecuniae membra, verbo BONA putaverunt appellanda, cum re ac factis longe aliter judicavissent. Potestne bonum cuiquam malo esse? Aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui ista omnia, talia videmus, ut etiam improbi habeant, et obsint probis. Quamobrem licet irrideat, si quis vult: plus apud me tamen vera ratio valebit, quam vulgi opinio. Neque ego unquam bona perdidisse dicam, si qui pecus, aut supellectilem amiserit: neque non saepe laudabo sapientem illum, Biantem, ut opinor, qui numeratur in septem: cujus cum patriam Prienen cepisset hostis, ceterique ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent, cum esset admonitus a quodam, ut idem ipse faceret: *Ego vero*, inquit, *facio*, *nam omnia mea porto mecum.* Ille haec ludi-

1 Cod. 10 homines — circumfluentes.
Ed. Princ. quippe cum videretur circumfluentibus

dibria fortunae, ne sua quidem putavit, quae nos appellamus etiam bona. Quid est igitur, quaeret aliquis, bonum? Si quid recte fit, et honeste, et cum virtute, id bene fieri, vere dicitur: [1] et quod rectum, et honestum et cum virtute est, id solum opinor Bonum.

II. Sed haec videri possunt obscuriora, cum lentius disputantur. Vita atque factis illustranda sunt Summorum virorum haec, quae verbis subtilius, quam satis est, disputari videntur. Quaero enim a vobis, num ullam cogitationem habuisse videantur ii, qui hanc rempublicam tam praeclare fundatam nobis reliquerunt, aut argenti ad avaritiam, aut amoenitatum ad delectationem, aut supellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates? Ponite ante oculos unumquemque regum. Vultis a Romulo? vultis post liberam civitatem, ab iis ipsis, qui liberaverunt eam? Quibus tandem gradibus Romulus [2] escendit in coelum? iisne, quae isti bona appellant? an rebus gestis, atque virtutibus. Quid? a Numa Pompilio? minusne gratas Diis immortalibus capedines, ac fictiles urnulas fuisse, quam filicatas aliorum pateras arbitramur? Omitto reliquos: sunt enim omnes pares inter se, praeter Superbum. Brutum si quis roget, quid egerit in patria liberanda; si quis item reliquos ejusdem consilii socios, quid spectaverint, quid secuti sint: num quis exsistet, cui voluptas, cui divitiae, cui denique praeter officium fortis et magni viri, quidquam aliud propositum fuisse videatur? Quae res ad necem Porsennae C. Mucium impulit, sine ulla

1 Cod. 10. quia quod rectum.
Cod. 84, Ed. Princ: dicitur, quod rectum.

2 Cod. 84, escendit.

ulla spe salutis suae? Quae vis Coclitem contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum? quae patrem Decium, quae filium devotavit, atque immisit in armatas hostium copias? Quid continentia C. Fabricii, quid tenuitas victus M'Curii sequebatur? Quid duo propugnacula belli Punici, Cn. et P. Scipiones, qui Karthaginiensium adventum corporibus suis intercludendum putaverunt? quid Africanus major? quid minor? quid inter horum aetates interjectus Cato[1]? Quid? innumerabiles alii, (nam domesticis exemplis abundamus)[1] cogitasse, quidquam in vita sibi expetendum, nisi quod laudabile esset et praeclarum, videntur?

III. Veniant igitur isti irrisores hujus orationis, ac sententiae: et jam vel ipsi judicent, utrum se horum alicujus, qui marmoreis tectis, ebore, et auro fulgentibus, qui signis, qui tabulis, qui caelato auro et argento, qui Corinthiis operibus abundant, an C. Fabricii, qui nihil eorum habuit, nihil habere voluit, similes esse malint? Atque haec quidem, quae modo huc, modo illuc transferuntur, facile adduci solent, ut in rebus bonis esse negent: illud tamen arcte tenent, accurateque defendunt, voluptatem esse summum bonum. Quae quidem mihi vox pecudum videtur esse, non hominum. Tu, cum tibi sive Deus, sive mater (ut ita dicam) rerum omnium, natura, dederit animum, quo nihil est praestantius, neque divinius, sic te ipse abjicies, atque prosternes, ut nihil[2] inter te, atque quadrupedem aliquam putes

1 Ed. Pr: an cogitasse quidquam putamus — videtur?
Cod. 84. cogitasse quicquam in vita sibi esse exp: — videtur?
Cod. 10. an cogitasse in vita quidquam sibi exp: esse, nisi quod laudabile et praeclarum esset, videntur?

2 Cod. 10. inter te et quadrupedem aliquam; Mox. De quo is, qui habeat, honeste non possit gloriari.

putes interesse? Quidquam bonum est, quod non eum, qui id possidet, meliorem facit? Ut enim quisque est maxime boni particeps, ita et laudabilis maxime: neque est ullum bonum, de quo non is, qui id habeat, honeste possit gloriari. Quid autem est horum in voluptate? Melioremne efficit, aut laudabiliorem virum? an quisquam in potiundis voluptatibus gloriando sese et praedicatione effert? Atqui si voluptas, quae plurimorum patrociniis defenditur, in rebus bonis habenda non est; eaque, quo est major, eo magis mentem e sua sede et statu [1] dimovet, profecto nihil est aliud bene et beate vivere, nisi honeste et recte vivere.

PARADOXON II.

Ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν.

In quo virtus sit, ei nihil deesse ad beate vivendum.

I. Nec vero ego M. Regulum, aerumnosum, nec infelicem, nec miserum, unquam putavi. Non enim magnitudo animi ejus excruciabatur a Poenis, non gravitas, non fides, non constantia, non ulla virtus, non denique animus ipse: qui [2] tot virtutum praesidio, tantoque comitatu, cum corpus ejus caperetur, capi certe ipse non potuit. C. vero Marium vidimus, qui mihi secundis [3] in rebus unus ex fortunatis hominibus; in adversis unus ex summis viris videbatur; quo beatius esse mortali nihil potest. Nescis, insane, nescis, quantas vires

1 Cod. 10. 84 Ed. Princ: dimovet.
2 Cod. 10. tot virtutum praesidio fultus.
3 Cod 10. in sec: — in adv. 84 Secundis — adversis. Ed. Pr: Secundis — in adversis.

vires virtus habeat, [1] nomen tantum virtutis usurpas: quid ipsa valeat, ignoras. Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quique in se uno sua ponit omnia; cui spes omnis, et ratio et cogitatio pendet ex fortuna; huic nihil potest esse certi; nihil, quod exploratum habeat, permansurum sibi unum diem. Eum tu hominem terreto, si quem eris nactus, istis mortis, aut exsilii minis. Mihi vero quidquid acciderit in tam ingrata civitate, ne recusanti quidem evenerit, non modo non repugnanti. Quid enim ego laboravi, aut quid egi, aut in quo evigilaverunt curae et cogitationes meae, siquidem nihil peperi tale, nihil consecutus sum, ut eo statu essem, quem neque fortunae temeritas, neque inimicorum labefactaret injuria? Mortemne mihi minitaris, ut omnino ab hominibus; an exsilium, ut ab improbis demigrandum sit? Mors terribilis est iis, quorum cum vita omnia extinguuntur; non iis, quorum laus emori non potest: exsilium autem illis, quibus quasi circumscriptus est habitandi locus; non iis, qui omnem orbem terrarum, unam urbem esse ducunt. Te miseriae, te aerumnae premunt, qui te beatum, qui florentem putas: tuae libidines te torquent; tu dies noctesque cruciaris; cui nec sat est, quod est, et id ipsum, ne non sit diuturnum, times; te conscientiae stimulant maleficiorum tuorum; te metus exanimant judiciorum atque legum; quocumque adspexisti, ut furiae, sic tuae tibi occurrunt injuriae, quae te respirare non sinunt. Quamobrem ut improbo, et stulto, et inerti ne-

1 Cod. 10. nomen quum virtutis usurpas.

nemini bene esse potest: sic bonus vir, et fortis, et sapiens, miser esse non potest. Nec vero, cujus virtus, moresque laudandi sunt, ejus non laudanda vita est: neque porro fugienda vita, quae laudanda est. Esset autem fugienda, si esset misera. Quamobrem quidquid est laudabile, idem et beatum et florens, et expetendum videri debet.

PARADOXON III.

Ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, καὶ τὰ κατορθώματα.

Aequalia esse peccata et recte facta.

I. Parva, [1] inquit, res est: at magna culpa. Nec enim peccata, rerum eventu, sed vitiis hominum metienda sunt. In quo peccatur, id potest aliud alio majus esse aut minus: ipsum quidem illud peccare, quoquo verteris, unum est. Auri navem evertat gubernator, an paleae; in re [2] aliquantum, in gubernatoris inscitia nihil interest. Lapsa est libido in muliere ignota: dolor ad pauciores pertinet, quam si petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine: peccavit vero nihilominus, si quidem est peccare, tanquam transilire lineas; quod cum feceris, culpa commissa est: quam longe progrediare, cum semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet. Peccare certe licet nemini. Quod autem non licet, id hoc uno tenetur, si arguitur non licere. Id si nec majus, nec minus unquam fieri potest (quoniam in eo est peccatum, si non licuit; quod semper unum et idem est) quae ex eo peccata nascuntur, aequa-

1 Cod. 10. inquit.
2 Cod. 84. Ed. Princ: aliquantum. Inscitia.

aequalia sint oportet. Quod si virtutes pares sunt inter se: paria esse etiam vitia necesse est. Atqui pares esse virtutes, nec bono viro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec sapiente sapientiorem posse fieri, facillime potest perspici. An virum bonum dices, qui depositum nullo teste, cum lucrari impune posset auri pondo decem, reddiderit, si idem in decem millibus pondo non idem fecerit? aut temperantem eum, qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? Una virtus est consentiens cum ratione et perpetua constantia. Nihil huic addi potest, quo magis virtus sit: nihil demi, ut virtutis nomen relinquatur. Etenim si bene facta, recte facta sunt, et nihil recto rectius: certe ne bono quidem melius quidquam inveniri potest. Sequitur igitur, ut etiam vitia sint paria: si quidem pravitates animi recte vitia dicuntur. Atqui quoniam pares virtutes sunt: recte facta, quando a virtutibus proficiscuntur, paria esse debent: itemque peccata, quoniam ex vitiis manant, sint aequalia necesse est.

II. A philosophis, [1] inquit, ista sumis. Metuebam, ne a lenonibus diceres. Socrates disputabat isto modo. Bene hercle narras. Nam istum doctum et sapientem virum fuisse, memoriae traditum est. Sed tamen quaero ex te (quando verbis inter nos contendimus, non pugnis) utrum de bonis est quaerendum, quid bajuli, atque operarii, an quid homines doctissimi senserint? praesertim cum hac sententia non modo verior, sed ne utilior qui-

1 Cod. 10. Ed. Princ: inquit.

quidem hominum vitae reperiri ulla possit. Quae vis enim est, quae magis arceat homines ab improbitate omni, quam si senserint, nullum in delictis esse discrimen? aeque peccare se, si privatis, ac si magistratibus manus adferant? quamcumque in domum stuprum intulerint, eandem esse labem libidinis? Nihilne igitur interest (nam hoc dicet aliquis) patrem quis enecet, an servum? Nuda ista si ponas, judicari, qualia sint, non facile possunt. Patrem vita privare, si per se scelus est: Saguntini, qui parentes suos, liberos emori, quam servos vivere maluerunt, parricidae fuerunt. Ergo et parenti nonnunquam adimi vita sine scelere potest: et servo saepe sine injuria non potest. Causa igitur haec, non natura distinguit; quae quando utro accessit, id fit propensius; si utroque adjuncta sit, paria fiant, necesse est. Illud tamen interest, quod in servo necando, si adsit injuria, semel peccatur; in patris vita voilanda, multa peccantur. Violatur is, qui procreavit: is, qui aluit: is, qui erudivit: is, qui in sede ac domo, atque in republica collocavit. Multitudine peccatorum praestat, eoque poena majore dignus est. Sed nos in vita, non quae cuique peccato poena sit, sed quantum cuique liceat, spectare debemus; quidquid non oportet, scelus esse; quidquid non licet, nefas putare debemus. Etiamne in minimis rebus? Etiam: siquidem rerum modum fingere non possumus: animorum modum tenere possumus. Histrio si paullum se movit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior, aut longior, exsibilatur et exploditur: [1] in vita tu, quae omni

1 Cod. 10. in vita tum quae — debet. Cod. 84. In vita tum tu, quae — debet. Ed. Princ: in vita, quae — debet.

omni gestu moderatior, omni versu aptior esse debet, ut in syllaba te peccare dices? Poëtam non audio in nugis: in vitae societate audiam civem, digitis peccata dimetientem sua? Quae si visa sunt breviora, leviora qui possint videri, cum, quidquid peccatur, perturbatione peccetur rationis atque ordinis? perturbata autem semel ratione et ordine, nihil possit addi, quo magis peccari posse videatur.

PARADOXON IV.

Ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται.

Omnem stultum insanire.

I. Ego vero te non stultum, ut saepe; non improbum, ut semper; sed dementem et insanum rebus vincam necessariis. Sapientis animus magnitudine consilii, contemtione rerum humanarum, tolerantia fortunae, virtutibus denique omnibus, ut moenibus septus, vincetur, et expugnabitur, qui ne civitate quidem pelli potest? Quae est enim civitas? Omnisne conventus etiam ferorum et immanium? Omnisne etiam fugitivorum ac latronum, congregata unum in locum multitudo? certe negabis. Non igitur erat illa tum civitas, cum leges in ea nihil valebant; cum judicia jacebant; cum mos patrius occiderat; cum ferro pulsis magistratibus, senatus nomen in republica non erat. Praedonum ille concursus, et te duce latrocinium in foro constitutum, et reliquiae conjurationis a Catilinae furiis ad tuum scelus, furoremque conversae, non civitas erat. Itaque pulsus ego civitate non sum, quae nulla erat; arcessitus in civitatem sum, cum esset in republica consul, qui tum nullus

lus fuerat; esset senatus, qui tum occiderat; esset [1] consensus populi liberi; esset juris et aequitatis, (quae vincula sunt civitatis) repetita memoria. Ac vide, quam ista tui latrocinii tela contemserim. Jactam et immissam a te nefariam in me injuriam semper duxi; pervenisse ad me nunquam putavi; nisi forte, cum parietes disturbabas, aut cum tectis sceleratas faces inferebas, meorum aliquid ruere, aut deflagrare arbitrabare. Nihil neque meum est, neque cujusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Si mihi eripuisses divinam animi mei constantiam, meas curas, vigilias, consilia, quibus respublica te invitissimo stat; si hujus aeterni beneficii immortalem memoriam delevisses; multo etiam magis si illam mentem unde haec consilia manarunt, mihi eripuisses: tum ego accepisse me confiterer injuriam. Sed si haec nec fecisti, nec facere potuisti: reditum mihi gloriosum injuria tua dedit, non exitum calamitosum. Ergo ego semper civis; et tum maxime, cum meam salutem senatus exteris nationibus, ut civis optimi, commendabat; tu, ne nunc quidem: nisi forte idem esse hostis, et civis potest. An tu civem ab hoste natura, ac loco, non animo factisque distinguis? Caedem in foro fecisti; armatis latronibus templa tenuisti; privatorum domos, aedes sacras incendisti. Cur hostis Spartacus, si tu civis? potes autem esse tu civis, propter quem aliquando civitas non fuit? et me tuo nomine appellas, cum omnes meo discessu exsulasse rempublicam putent? Nunquamne, homo amentissime, te circumspicies? nunquam, nec quid facias, considerabis,

1 Codd. Leid: Ed Princ: Consensus populi liber. Quod praefert Th: Benll:

rabis, nec quid loquare? nescis, exsilium scelerum esse poenam? meum illud iter ob praeclarissimas res a me gestas esse susceptum? Omnes scelerati, atque impii, quorum tu te ducem esse profiteris, quos leges exsilio affici volunt, exsules sunt, etiam si solum non mutarunt. An cum omnes leges te exsulem esse jubeant, non eris tu exsul? Num appellatur inimicus, qui cum telo fuerit? ante senatum tua sica deprehensa est! qui hominem occiderit? tu plurimos occidisti! qui incendium fecerit? aedes Nympharum manu tua deflagravit! qui templa occupaverit? in foro castra posuisti! Sed quid ego communes leges profero, quibus omnibus es exsul? Familiarissimus tuus de te privilegium tulit, ut, si in opertum Bonae Deae accessisses, exsulares. At te id fecisse, etiam gloriari soles. Quomodo igitur tot legibus in exsilium ejectus, nomen exsulis non perhorrescis? Romae sum, [1] inquit. Et quidem in operto fuisti. Non igitur ubi quisque erit, ejus loci jus tenebit, si ibi eum legibus esse non oportebit.

PARADOXON V.

Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος.

Solum Sapientem esse liberum, et omnem stultum servum.

I. Laudetur vero hic imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur; quomodo, aut cui tandem hic libero imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? Refrenet primum libidines, spernat vo-

1 Cod. 84. inquit.

voluptates, iracundiam teneat, coerceat avaritiam, ceteras animi labes repellat: tum incipiat aliis imperare, cum ipse improbissimis dominis, dedecori ac turpitudini parere desierit. Dum quidem his obediet, non modo imperator, sed liber habendus omnino non erit. Praeclare enim est hoc usurpatum a doctissimis, quorum auctoritate non uterer, si mihi apud aliquos agrestes haec habenda esset oratio; cum vero apud prudentissimos loquar, quibus haec inaudita non sunt: cur ego simulem, me, si quid in his studiis operae posuerim, perdidisse? Dictum est igitur ab eruditissimis viris, nisi sapientem, liberum esse neminem. Quid est enim libertas? Potestas vivendi, ut velis. Quis igitur vivit, ut vult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata, atque provisa est? qui legibus quidem non propter metum paret, sed eas sequitur, atque colit, quia id salutare maxime esse judicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter ac libere: cujus omnia consilia, resque omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur, eodemque [1] feruntur: nec est ulla res, quae plus apud eum polleat, quam ipsius voluntas atque judicium: cui quidem etiam (quae vim habere maximam dicitur) Fortuna ipsa cedit: sicut sapiens poëta dixit; *suis ea cuique fingitur moribus.* Soli igitur hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. Quod esti ita esse, pluribus verbis disserendum est: illud tamen et breve, et confitendum est, nisi qui ita sit affectus, esse liberum neminem. Igitur omnes improbi, servi.

1 Cod. 10. referuntur.

servi. Nec hoc tam re est, quam dictu inopinatum atque mirabile. Non enim ita dicunt eos esse servos, ut mancipia, quae sunt dominorum facta nexu, aut aliquo jure civili; sed, si servitus sit, sicut est, obedientia fracti animi, et abjecti, et arbitrio carentis suo, quis neget, omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos, esse servos?

II. An ille mihi liber, cui mulier imperat? cui leges imponit, praescribit, jubet, vetat, quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? Poscit? dandum est; vocat? veniendum; ejicit? abeundum; minatur? extimescendum. Ego vero istum non modo servum, sed nequissimum servum, etiamsi in amplissima familia natus sit, appellandum puto. Atque ut in magna familia sunt alii lautiores, (ut sibi videntur) servi, sed tamen servi, atrienses ac topiarii; pari stultitia sunt, quos signa, quos tabulae, quos caelatum argentum, quos Corinthia opera, quos aedificia magnifica nimio opere delectant. At sumus, [1] inquit, civitatis principes. Vos vero ne conservorum quidem vestrorum principes estis. Sed ut in familia, qui tractant ista, qui tergunt, qui ungunt, qui verrunt, qui spargunt, non honestissimum locum servitutis tenent; sic in civitate, qui se istarum rerum cupiditatibus dediderunt, ipsius servitutis locum paene infimum obtinent. Magna, [2] inquit, bella gessi: magnis imperiis, et provinciis praefui. Gere igitur animum laude dignum. Echionis tabula te stupidum detinet, aut signum aliquod Polycleti. Mitto, unde sustuleris, et quomodo habeas. Intuentem te, admirantem, clamores

res

1 Cod. 84. inquit.
2 Cod. 84. Ed. Pr: inquis.

res tollentem cum video, servum te esse ineptiarum omnium judico. Nonne igitur sunt ista festiva? Sint. Nam nos quoque oculos eruditos habemus. Sed obsecro te, ita venusta habeantur ista, non ut vincula virorum sint, sed ut oblectamenta puerorum. Quid enim censes? si L. Mummius aliquem istorum videret, matellionem Corinthium cupidissime tractantem, cum ipse totam Corinthum contemsisset: utrum illum civem excellentem, an atriensem diligentem putaret? Reviviscat M' Curius, aut eorum aliquis, quorum in villa ac domo nihil splendidum, nihil ornatum fuit praeter ipsos, et videat aliquem, summis populi beneficiis usum, barbatulos mullos exceptantem de piscina, et pertractantem, et muraenarum copia gloriantem: nonne hunc hominem ita servum judicet, ut ne in familia quidem dignum majore aliquo negotio putet? An eorum servitus dubia est, qui cupiditate peculii nullam conditionem recusant durissimae servitutis? Hereditatis spes quid iniquitatis in serviendo non suscipit? Quem nutum locupletis orbi senis non observat? Loquitur ad voluntatem; quidquid denunciatum sit, facit; assectatur, assidet, muneratur. Quid horum est liberi? quid denique non servi inertis?

III. Quid? jam illa cupiditas (quae videtur esse liberalior) honoris, imperii, provinciarum, quam dura est domina! quam imperiosa! quam vehemens! Cethego, homini non probatissimo, servire coëgit eos, qui sibi esse amplissimi videbantur; munera mittere, noctu venire domum ad eum, precari, denique supplicare. Quae servitus est, si haec libertas existimari potest? Quid? cum cupiditatum dominatus excessit, et alius est dominus exortus

ex

ex conscientia peccatorum, timor? quam est illa misera, quam dura servitus! Adolescentibus paulo loquacioribus est serviendum; omnes, qui aliquid scire videntur, tanquam domini, timentur. Iudex vero quantum habet dominatum? quo timore nocentes afficit? An non est omnis metus, servitus? Quid valet igitur illa eloquentissimi viri, L. Crassi, copiosa magis, quam sapiens oratio? *Eripite nos ex servitute.* Quae est ista servitus, tam claro homini, tamque nobili? Omnis animi debilitati, et humilis, et fracti timiditas, servitus est. *Nolite sinere nos cuiquam servire.* In libertatem vindicari vult? Minime. Quid enim adjungit? *nisi vobis universis.* Dominum mutare, non liber esse vult. *Quibus et possumus et debemus.* Nos vero, siquidem animo excelso, et alto, et virtutibus exaggerato sumus, nec debemus, nec possumus. Tu posse te dicito, quoniam quidem potes: debere ne dixeris, quoniam nihil quisquam debet, nisi quod est turpe non reddere. Sed haec hactenus. Ille videat, quomodo imperator esse possit: cum eum ne liberum quidem esse ratio, et veritas ipsa convincat.

*

PARADOXON. VI.

Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος.

Solum sapientem esse divitem.

I. Quae est ista in commemoranda pecunia tua tam insolens ostentatio? Solusne tu dives? Pro Dii immortales! egone me audivisse aliquid, et didicisse, non gaudeam? Solusne dives? Quid, si ne dives quidem? quid, si pauper etiam? Quem enim intelligimus divitem? aut, hoc verbum, in quo homine ponimus? Opinor in eo, cui tanta possessio est, ut ad liberaliter vivendum facile contentus sit: qui nihil quaerat, nihil appetat, nihil optet amplius. Animus oportet tuus, se judicet divitem, non hominum sermo, neque possessiones tuae: nihil sibi deesse putet, nihil curet amplius. Satiatus est, aut contentus etiam pecunia? concedo, dives es. Sin autem propter aviditatem pecuniae nullum quaestum turpem putas, cum isti ordini ne honestus quidem possit esse ullus; si quotidie fraudas, decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis; si socios spolias, aerarium expilas; si testamenta amicorum exspectas, aut ne exspectas quidem, atque ipse supponis: haec utrum abundantis, an egentis signa sunt? Animus hominis dives, non arca appellari solet. Quamvis illa sit plena, dum te inanem videbo, divitem non putabo. Etenim ex eo, quantum cuique satis est, metiuntur homines divitiarum modum. Filiam quis habet? pecunia est opus. Duas? majore. Plures? majore etiam. Et si, ut ajunt, Danao, quinquaginta sint filiae: tot dotes

tes magnam quaerunt pecuniam. Quantum enim cuique opus est, ad id accommodatur, ut ante dixi, divitiarum modus. Qui igitur non filias plures, sed innumerabiles cupiditates habet, quae brevi tempore maximas copias exhaurire possint; hunc quomodo ego appellabo divitem, cum ipse etiam egere se sentiat? Multi ex te audierunt, cum diceres, neminem esse divitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus: quod populus Romanus tantis vectigalibus jampridem vix potest. Ergo hoc proposito, nunquam eris dives ante, quam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut eo tueri sex legiones, et magna equitum ac peditum auxilia possis. Iam fateris igitur, non esse te divitem, cui tantum desit, ut expleas id, quod exoptas. Itaque istam paupertatem, vel potius egestatem ac mendicitatem tuam nunquam obscure tulisti.

II. Nam ut iis, qui honeste rem quaerunt mercaturis faciendis, operis dandis, publicis sumendis, intelligimus opus esse quaesito: sic, qui videt domi tuae pariter accusatorum, atque judicum consociatos greges; qui nocentes et pecuniosos reos, eodem te auctore, corruptelam judicii molientes, qui tuas mercedum pactiones in patrociniis, intercessiones pecuniarum in coitionibus candidatorum, dimissiones libertorum ad foenerandas diripiendasque provincias; qui expulsiones vicinorum, qui latrocinia in agris, qui cum servis, cum libertis, cum clientibus societates, qui possessiones vacuas, qui proscriptiones locupletium, qui caedes municipiorum, qui illam Sullani temporis messem recordetur, qui testamenta subjecta, qui sublatos tot homines; qui denique omnia venalia, delectum, decretum, alienam,

suam sententiam, forum, domum, vocem, silentium: quis hunc non putet confiteri, sibi quaesito opus esse? cui autem quaesito opus sit, quis umquam hunc vere dixerit divitem? est enim divitiarum fructus in copia: copiam autem declarat satietas rerum, atque abundantia: quam tu quoniam nunquam assequere, nunquam omnino es futurus dives. Meam autem quoniam pecuniam contemnis, et recte (est enim ad vulgi opinionem mediocris; ad tuam, nulla; ad meam, modica;) de me silebo: de re loquar. Si censenda nobis atque aestimanda res sit, utrum tandem pluris aestimemus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat, an continentiam Fabricii, qui illam pecuniam repudiabat? utrum aurum Samnitum, an responsum M' Curii? hereditatem L. Paulli, an liberalitatem Africani, qui ejus hereditatis Q. Maximo fratri partem suam concessit? Haec profecto, quae sunt summarum virtutum, pluris aestimanda sunt, quam illa, quae sunt pecuniae. Quis igitur (si quidem, ut quisque, quod plurimi sit, possideat, ita ditissimus habendus sit) dubitet, quin in virtute divitiae sint? quoniam nulla possessio, nulla vis auri et argenti, pluris, quam virtus, aestimanda est.

III. O Dii immortales! non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia. Venio enim jam ad sumtuosos: relinquo istum quaestuosum. Capit ille ex suis praediis sexcenta sestertia; ego centena ex meis: illi aurata tecta in villis, et sola marmorea facienti, et signa, tabulas, supellectilem, et vestem infinite concupiscenti, non modo fructus ille ad sumtus, sed etiam ad foenus, exiguus.

guus [1]. Ex meo tenui vectigali, detractis sumtibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Utter igitur est ditior, cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat? cujus possessio quo est major, eo plus requirit ad se tuendam; an quae suis se viribus sustinet? Sed quid ego de me loquor, qui morum ac temporum vitio aliquantum etiam ipse fortasse in hujus saeculi errore verser? M'Manilius patrum nostrorum memoria (ne semper Curios et Luscinos loquamur) pauper tandem fuit. Habuit enim aediculas in Carinis, et fundum in Labicano. Nos igitur ditiores, qui plura habemus? Utinam quidem! Sed non aestimatione census, verum victu atque cultu terminatur pecuniae modus. Non esse cupidum, pecunia est; non esse emacem, vectigal est; contentum vero suis rebus esse, maximae sunt, certissimaeque divitiae. Etenim si isti callidi rerum aestimatores prata et areas quasdam magno aestimant, quod ei generi possessionum minime quasi noceri potest: quanti est aestimanda virtus, quae nec eripi, nec surripi potest umquam; neque naufragio, neque incendio amittitur; nec tempestatum, nec temporum perturbatione mutatur? qua praediti qui sunt, soli sunt divites. Soli enim possident res et fructuosas et sempiternas: solique (quod est proprium divitiarum) contenti sunt rebus suis. Satis esse putant, quod est: nihil appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt. Improbi autem, et avari, quoniam incertas, atque in casu positas ha-

1 Haec est lectio Cod. 10. Quam in textum recipere non dubitavimus. Vid. nostra ann. ad h. l.

habent, et plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inventus est, cui, quod haberet, esset satis; non modo non copiosi ac divites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt.

*

ANI-

ANIMADVERSIONES

IN

M. TULLII CICERONIS

PARADOXA.

ANIMADVERSIONES

IN

M. TULLII CICERONIS
PARADOXA.

PROOEMIUM.

Ad M. Brutum.] De Bruto et Catone videantur Sylvius, Manutius, Gernhardus ad h. l. et Ernest: in Clav.

Animadverti, Brute, saepe.] Sic ordine inverso. Auct. ad Her: IV. 24. »Saepe, Iudices, animadverti."

Avunculum – tractare.] De Fin: III. 2. »Controversiam (Brute) dijudicabis, quae mihi fuit cum avunculo tuo, divino ac singulari viro." *Tractare.* mox. *solet dicere.* De Orat. II: 27. »Quum igitur, accepto caussae genere et cognito, rem tractare coepi."

Abhorrentes ab hoc usu – publico.] i, e. a consuetudine. De Orat. I. 18. »ne abstrahamur ab hac – consuetudine dicendi populari et forensi." Orator. 9. pro Archia 2. »hoc uti genere dicendi, quod non modo a consuetudine judiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat." quod ibid. cap. 8. vocatur »inusitatum dicendi genus et novum." Apposite de Phil. obscuris argumentationibus. de Inv. I. 41. »verum

 il-

illa nobis abhorrere ab usu oratorio videntur."

Ut illa etiam populo probabilia viderentur.] i. e. multitudini imperitae. Pro Mur. 19. »nam quid ego dicam, populum ac vulgus imperitorum ludis magnopere delectari"? in Pison. 19. »Thyestea ista exsecratio est, poetae, vulgi animos, non sapientum moventis." *illa.* Similis generis enallage. in Pis. 29. »Est autem hic, de quo loquor, non philosophia solum, sed etiam litteris, quod fere ceteros Epicureos negligere dicunt, perpolitus."

Majus.] i. e. difficilius. de Inv. I. 44. »et demonstrando, difficilius et majus fuisse id judicatum, quod." ad Div. XIV. Ep. 3. »Ejicere nos magnum fuit, excludere facile est." de Orat. I. 5. »quis enim aliud, – nisi rei quandam incredibilem magnitudinem et difficultatem"? Cf. Orator. 1. pro Balbo. 1. Sic et μέγας apud Hom. Odyss. X. 149. μέγα δ'αὐτῷ φαίνετο ἔργον.

Quia nos ea philosophia plus utimur.] i. e. studemus. de Pet. Cons. 3. »quare si facies ea, quae tibi natura, et studia, quibus semper usus es, largiuntur." Idem Bruti studium laudatur. de Fin. III. 2. »quum haec ad te scribam, qui cum in philosophia, tum in optimo genere philosophiae tantum processeris."

Quae peperit dicendi copiam.] Orator. 3. »fateor, me oratorem, si modo sim, aut etiam quicunque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse." de Orat. III. 19. »si illam praeclaram et eximiam speciem oratoris perfecti et pulchritudinem adamastis; aut vobis haec Carneadia, aut illa Aristotelia vis comprehendenda est." ibd. II. 38. Brutus. 31.

Cato autem perfectus (mea sententia) Stoicus.] Brut. 30. »prope perfectus in Stoicis." de Fin. III. 2. »M. Catonem, vidi in bibliotheca sedentem, circumfusum Stoicorum libris." – *mea sententia.* i. e. meo arbitratu. Rarius, ut de Inv. I. 4. »meo quidem animo." pro Sext. 22. »Hoc, meo quidem animo, summi in patriam amoris signum esse debet certissimum." Cat. I. 12.

Quae non sane probantur in vulgus.] cf. de Fin. IV. 19. Haec opponuntur, quod prox. antecessit, *non multum discrepant ab op. pop.* ideoque malim legere *non plane.* Cum *non sane* levius affirmet ut docuit Goer. ad Fin. II. 13. Conf. de Sen. 23. »me – haud sane quis – retraxerit."

Ea est haeresi – dilatat argumentum.] i. e. disciplina. Brut. 30. ex emendat. Schutz. »quae propria est hujus disciplinae philosophorum, de sapiente opinio." cf. de Fin. IV. 9. de Off. I. 2. ibiq. Heusing. *dilatat.* i. e. explicat. de Orat. I. 35. »ut Crassus haec, quae coarctavit et peranguste refersit in oratione sua, dilatet nobis atque explicet." de Fin. I. 3. ibiq. Goer.

Minutis interrogatiunculis – efficit.] i. e. syllogismis, qui dicuntur de Fin. III. 7. »consectaria brevia et acuta." Sic simplex de Fin. I. 11. »illum in hac esse rogatiuncula." Observandus elegans pleonasmus, *minutis interrogatiunculis.* Sic mox *parvum opusculum.* de Orat. II. 39. »qui omnes tenuissimas particulas." Verbum *proponere* frequens in hoc sensu. Vid. de Orat. I. 41. II. 9. ib. 77. Similiter *efficere.* i. e. obtinere. de Fin. I. 6. »tum ne efficit quidem, quod vult." ib. IV. 1. »si istud obtinueris." Gernhardo assentimur, qui haec non ad Catonem refert. Nobis videtur Cicero com-

pa-

parare h. l. philosophiam Acad. et Perip. cum Stoica. Hinc Bruto erat exploratum, cur Catoni hoc esset *majus*. Mox committuntur Cato et ipse Cicero: *Cato enim — dicere. Ego vero.* Particulam *sed* inseruit Gernh. vereor, an recte; quoniam omittit saepius conjunctiones Cicero, ut pro Sext. 3. »sed mihi ante oculos obversatur rei publicae dignitas, quae me ad sese rapit, haec minora relinquere hortatur.” Pro. »haec vero minora.” Conf. Ad. Div. IX. Ep. 26. extr. »Non multi cibi hospitem accipies; multi joci.” Ubi secunda manus addidit *sed* in Mss., quo usus est Ernestus; quod in textum recepit Schutz. ad quem locum vid. Ern.

Sed nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile; nihil tam horridum atque incultum — excolatur.] Haec conjunguntur. Part. Orat. 4. »Quum incredibilia probabilibus teximus.” Pro Balbo 25. »Ut vobis rem tam perspicuam dicendo probaremus.” Orator. 9. »Putant enim, qui horride inculteque dicat.” ibid. 11. Pro Quintio. 18. »Vixit enim semper inculte atque horride.” De Fin. I. 3. »In inculta quaedam et horrida.” Pro Sext. 10. »Quia subhorridum atque incultum videbant.” Brut. 67. »Non valde nitens, non plane horrida oratio.”

Feci etiam audacius.] De Orat. I. 42. »dicam audacius.” cf. cap. 48. pro Mur. 29.

De magnitudine.] cf. Ern. ad h. l. et de Orat. I. 13.

Oratoriis ornamentis adhibitis] De Fin. IV. 3. »Illa ipsa — a te quidem apte ac rotunde: quippe; habes a rhetoribus. ibiq. Goer. Quem locum adscripsimus, quia nonnulli libri tam manu, quam typis exarati, legunt. *Nullis oratoriis ornamentis adh.*

Ego

Ego vero illa ipsa, quae vix in gymnasiis et in otio.] Quae dic. Brutus. 9. *Umbraculae.* De Re Publ. I. 2. »Quod vix paucis persuadere oratione philosophi possunt.” De *vix* vid. quae notabimus ad Par. VI. 1.

Ludens conjeci.] i. e. Exercitationis causa. De Orat. II. 20. »Sed videant, quid velint: ad ludendumne, an ad pugnandum arma sint sumpturi. Aliud enim – non [difficilius arte conjuncta.” Ibiq. Pearcius et Ernestius, cui legendum videtur. *Arte non juncta* vel *arte sejuncta.* Jocandi vero significatione vel ridendi. ibid. cap. 45. »Haec sunt illa, quae me ludens Crassus modo flagitabat, quum a me divinitus tractari solere diceret.”

Quae quia sunt – tentare volui – in forum.] Haec verba ab aliis aliter interpunguntur; Nos cum Gernhardio, (qui sententiam mutavit in addendis ad Calcem Editionis Paradox. pag. 316, praeferens lect. Cod. Duisb. *et ab ipsis*) illa, *ab ipsis etiam παράδοξα appellantur* parenthesis signis excudi jussimus, ut arbitramur, recte: cum reliqua oratio bene procedat, ideoque non sit necesse cum Bentlejo legere: *ab ipsis etiam παράδοξα appellata, tentare volui. Proferre in lucem* solenne in hac re. De Or I. 34. »et illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda est.” Pro Arch. 9. Verba *in forum* Bentl: et Schutz. ut glossema ejecerunt; Gernh. uncis inclusit. Quibus quominus assentiamur, facit tum Codicum concordia, tum ipse Cicero, qui haec saepius conjungit. Pro Sextio 24. »quum nemo vestrum forum, nemo curiam, nemo lucem adspicere vellet.” Auct. ad Her. IV. 13. »Tu in forum prodire, tu lucem conspicere, tu in horum conspectum venire conaris?” de Fin V. 29.

»Bo-

»Bonum appello, quidquid secundum naturam est: quod contra, malum. Nec ego solus: sed tu etiam, Chrysippe in foro, domi: in schola desinis" ibiq. Goer. De Fin. III. 2. »Ars est enim philosophia vitae: de qua disserens arripere verba de foro non potest." cf. supra. »tractare abhorrentes ab – publico." *id est.* non semper glossemata indicare, docuere Ruhnk. ad Vell. II. 23. et Goer. Acad. I. 2. de Fin. II. 2.

Popularis oratio.] i. e. ad intelligentiam populi. conf. de Orat. II. 38.

Quod mihi ista – verissima.] cf. Manut. ad h. l. Acad. II. 44. pro Balbo 1. »ut mihi jam verum videatur illud esse – quam facillime tractare." Multa Stoicorum paradoxa enumerat ad risum movendum, Catonisque auctoritatem detractandam; Atqui »apud imperitos tum illa dicta sunt, aliquid etiam coronae datum" de Fin. IV. 27.

Majorum vigiliarum munus in tuo nomine apparuit.] i. e. longiorum et plurium lucubrationum opus vel libellus. Sic Aquila Rom. in prooemio. »ideoque postea plenum hoc tibi munus reddemus." cf. Facc. in v. Intelligit forte libros de Finibus; vid. ibid. III. 2. »de ipsis autem rebus – existimatorem et judicem."

Degustabis.] i. e. leviter attinges, percipies. Sic simplex *gustare* de Orat. II. 36." Itaque feci, Catule, et istorum omnium summatim caussas et genera ipsa gustavi" ibid. 57. Nepos Att. 18. »attigit quoque Poeticen."

Quae dicuntur in scholis θετικά.] cf. Manut. ad h. l. Orator 14. »Haec igitur quaestio a propriis personis et temporibus ad universi generis orationem traducta, graece appellatur θέσις."

In

In acceptum ut referas, nihil postulo.] Omnes fere Codd. in *referas* consentiunt. Quidam habent *apertum.* Unde Schutz. in textum recepit *in apertum ut proferas.* Bentl. conjicit, *in apricum. Nihil* i. e. nullo modo. de Leg. Agr. II. 23. »Cn. Pompejus beneficio isto – nihil utitur." Nepos. Att. 21. »Nihil necesse est pluribus verbis commemorare." Rut. Lup. I. pag. 51. »Strepitus qui nihil eorum mentes ad virtutem erigebat." ibiq. Ruhnk. Contra *aliquid* adverbialiter ponitur pro aliqua in re, aliquo modo. Pro Rege Dej. 13. »Vereor, ne tibi illum succensere aliquid suspicere." Pro Domo 8. »Sed cum illis tamen possum aliquid disputare."

Minerva Phidiae.] De Orat. II. 17. ex emend. Wytt. Bib. Crit. I. p. 1. pag. 20. quam in contextum recepit Schutzius. »In his operibus si quis illam artem comprehenderit, ut, tanquam Phidias, Minervae signum efficere possit; non sane, quemadmodum, ut in clypeo idem ille artifex, minora illa opera facere discat, laborabit."

PARADOXON I.

I. *Ex meo – depromta haec videatur oratio.*] De Orat. II. 78. »Ita et momenti aliquid afferent, quum erunt paene ex intima defensione depromta." Sic *expromere.* Pro Rab. 3. »An de peculatu facto, an de tabulario incenso longa oratio est expromenda." ex Ern. emend. quam in text. recepit Schutz.

Dicam tamen – poscit.] *Dicam quod sentio.* Frequens Ciceroni. de Orat. I. 14. 44. II. 4. Phil. V. 2. *Poscit* verissima lectio. De Opt. Gen. Orat. 3. »haec dixi

dixi brevius equidem, quam res petebat." Pro Balbo. 25. »Intelligo – plura – esse dicta, quam res postularet." Ideoque *possit*, quod habet Ms. Voss. 10. et *potest*, quod prae se ferunt Cod. 84 et Ed. Mog. cum Schutz. Gernh. et Ern. rejecimus.

Quibus maxime adstricti sunt, voluptates.] Pro Coelio. 19. »Hic – si obstrictus voluptatibus teneretur, in hac acie quotidie versaretur?" mox. *in bonis rebus aut expetendis esse duxi.* de Fin. III. 3. »Quidquid enim – expetendum esse dixeris, in bonisque numeraveris."

His rebus circumfluentibus.] Gernhardus edidit *circumfluentes*. In addendis autem pag. 317. sententiam mutavit, legens. *quippe cum viderentur rebus his circumfluentibus* sqq. Nos vulgatam lectionem, quam tuetur Cod. vos. 84, retinuimus cum Graevio et Ernest, (quem vide ad h. l. et Goer. ad Fin. II. 28;) ob *utramque* verbi structuram. Cf. pro Mur. 24. de Amic. 15. laud. a Gernh. ad h. l.

Neque enim expletur–satiatur cupiditatis sitis.] Editores certatim laudant Arist. Pol. II. 5. Cui loco adde, de Fin. I. 13. »Cupiditates enim sunt insatiabiles." Sall. B. C. 11. »Avaritia – insatiabilis, neque copia neque inopia minuitur" ibiq. Grasw.

Ea qui habent.] Exquisita structura; conf. De Leg. II. 11." »ut, illa qui habeant – putent." ibiq. Goer. et Moser. De Orat. II. 27. »Atque ista quidem qui docent" ut emend. Ern. quem secutus est Schutz. qui tamen falso monet, Ern. malle *isti.* cum ab eo duplex proferatur emendatio.

Saepe requiro prudentiam.] i. e. desidero. Orat. 1. Malo – desiderari a te prudentiam meam"

Pro

Pro Lig. 4. »Tubero, etiam tuam, sed multo magis patris tui prudentiam desidero.”

Imbecilla et commutabilia pecuniae membra.] Quae mox dicuntur *ludibria fortunae*. Phil. IV. 5. »Quamquam alia omnia falsa, incerta sunt, caduca, mobilia: virtus.” ibiq. Garaton. Wetz. et Schutz. legunt *pecuniae munera*. Gernhardo in mentem venerat *commutabilia pecuniâ*, ejicitque *membra*. Nos vulgatum tuemur. *Membra* h. l. sunt *fundamenta*. Eleganter, quasi dicat: *hanc pecuniam imbecillis et commutabilibus fundamentis superstructam*. Cf. pro Sext. 46. »Hujus autem otiosae dignitatis haec fundamenta sunt, haec membra.” Eadem repetuntur eodem cap. extr. Quibus addatur ad Div. V. 13. »Circumspice omnia membra rei publicae – Nullum reperies profecto, quod non fractum debilitatumve sit.”

Verbo Bona — cum re ac factis longe aliter judicavissent] Exquisite pro, Cum re ac factis ostendissent, se longe aliter judicare. Conf. de Re Publ: I. 17.

Potestne bonum – bonus?] Vide cap. 3. »Quidquam bonum est, quod non eum, qui id possidet, meliorem facit?” Phil. I. 10. »Quaerunt quidam, quid sit, cur aut ego, aut quisquam vestrum – bonis tribunis plebis, leges malas metuat.”

Plus apud me – vulgi opinio.] de Orat. III. 6. »Sed quoniam oppressi jam sumus opinionibus non modo vulgi, verum etiam hominum leviter eruditorum.” Ceterum, quantum vulgi opinioni tribuerit in oratore probando vel improbando, vid. Brut. 50. 51.

Si qui pecus – amiserit.] pro, Neque aliquem bona perdidisse dicam, si pecus.

Biantem, ut opinor.] Formula negligenter affirmantis et aliud agentis. Promiscue usurpantur *ut opinor* et *opinor* nude; de Amic. 23. »quod a Tarentino Archyta, ut opinor, dici:" Verr. IV. 3. »Is dicebatur esse Myronis, ut opinor." ibid. »bonam fortunam, ut opinor." Sic cap. 19. »Monile, ut opinor, ex auro et gemmis." Pro Sext. 21. »Mortem, quam etiam virgines Athenis, regis, opinor Erechthei, filiae." Phil. III. 8. »Haec sunt, opinor, verba in extremo." Cf. de Fin. II. 32. »Themistocles quidem, quum ei Simonides, an quis alius, artem." De *Priene* vide Gernh. ad h. l.

Multa de suis rebus.] Off. II. 4. »Ex quibus multisque aliis perspicuum est, qui fructus, quaeque utilitates ex rebus iis, quae sunt inanima, percipiantur, eas nos nullo modo sine hominum manu atque opera capere potuisse." cf. Heusing. ad h. l.

Nam omnia mea porto mecum.] Vid. Gern: ad h. l. Idem tribuitur Simonidi naufrago apud Phaed. IV. fab. 21. v. 14. »Mecum, inquit, mea sunt cuncta." Ibique Rittersh. *mea*. Par. IV. med. »Nihil neque meum est, neque cujusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest."

Quid est igitur, quaeret aliquis, bonum?-Bonum.] Vid. Graev. et Gernh. ad h. l. De Fin. III. 8. »ex quo intelligitur idem illud, solum bonum esse, quod honestum sit; idque esse beate vivere, honeste, id est, cum virtute vivere." ibidem 10. »Assentior Diogeni, qui bonum definierit, id quod esset natura absolutum." ibiq. Goer. De Fin. II. 14. »Honestum igitur id intelligimus, quod tale est, ut detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve, per se ipsum possit jure laudari.

II. *Cum*

II. *Cum lentius disputantur.*] i. e. Philosophorum more, *tenuiter*, *jejune*. Orat. 14. »In hac Aristoteles adolescentes, non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam rhetorum, in utramque partem, ut ornatius et uberius dici posset, exercuit.” de Fin. III. 5. »Haec dicuntur fortasse jejunius: sunt enim – quibus ubertas orationis adhiberi vix potest.” Cf. Ern. Cl. Cic. Voce *lente* et Gernh. ad h. l. et in add: pag. 318.

Quae verbis subtilius.] i. e. ut de Legg. III. 6. »Nam veteres (Stoici) verbo tenus – disserebant.” Pro Scauro 1. Non agam igitur cum ista Sardorum conspiratione, et cum expresso et coacto sollicitatoque perjurio, subtiliter, nec acu quaedam enucleata argumenta conquiram.” ibique Heinr. Cf. Brut. 9. de Fin. I. 9. de Amic. 2 et 5.

Num ullam cogitationem – argenti ad avaritiam.] De Fin. II. 19. »Num etiam collega P. Decius – aliquid de voluptatibus suis cogitabat?” ib. V. 22. »Quis est, qui non intelligat, et eos – immemores fuisse utilitatum suarum.” Ruhnkenius ad Vell. II. 17. legendum esse censet; *Argenti ad divitias*. Schutz. contra *ad avaritiam* explicat *explendam* scilicet. Quem vide ad. h. l. Viro doctissimo favere poterat Rosc. Amer. 52. »Si (Chrysogonus) non satis habet avaritiam suam pecunia explere.” Lege Man. 14. »Pompejum non avaritia ab instituto cursu ad praedam aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non amoenitas ad delectationem.” *Epulae* dicuntur de convivio lautiore. Cf. Forcell. in *voce*, et Goer. ad de Fin. II. 28.

Ponite ante oculos.] i. e. Pro Rege Dejot. 15. »Propone tibi duos reges, et id animo contemplare,

 quod

quod oculis non potes. Promiscue usurpantur verba *ponere*, *proponere*, *statuere*, *constituere ante oculos*. Cf. Auct. ad Her. IV. 36. de Orat. I. 57. Part. Orat. 6. pro Marc. 2. ibique Ern.

Vultis a Romulo?] Elegans ellipsis pro *incipere?* quod nonnulli addunt. Sic *loquuntur* omittitur Phil. I. 11. »Sed iidem illi ita mecum:" Phil. VII. 6. »Quis unquam omnes tribus? quis – militares?" ubi omissum est, *habuit in potestate?* Cf. ad utrumque locum *Garatonius*.

Post liberam civitatem.] i. e. *liberam factam*, *liberatam*. de Re Publ. II. 26. »Qui etiam liberata jam civitate dominationes appetiverunt." Pro Mil. 3. »M. Horatius, qui, nondum libera civitate, tamen populi Romani centuriis liberatus est." Phil. II. 45. »Quid multa? attulerat jam liberae civitati partim metu, partim patientia consuetudinem serviendi." Sic apud Livium II. 12. »Populus serviens cum sub regibus esset," opponitur, *populo libero*, post reges exactos. Sall. B. C. 7. »Sed civitas – adepta libertate." i. e. regio imperio sublato.

Quibus tandem gradibus Romulus escendit in coelum?"] de Re Publ. I. 16. II. 10. de Nat. Deor. II. 24. »Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in coelum fama ac voluntate tollerent." *Tandem* saepius additur interrogationibus. Parad VI. 3. »Pauper tandem fuit?" Verr. IV. 12. »Utrum tandem abstulisti, an emisti?" Gernh. legit *adscendit*. Nos vulgatum retinuimus. Cf. Gron. et Drak. ad Liv. II. 28. et Garat. ad Phil. II. 34.

Capedines ac fictiles urnulas.] vide Gernh. ad h. l. et Celeb. Creuzer. ad N. D. III. 17.

Omit-

Omitto reliquos, sunt enim omnes pares inter se.] Phil. XII. 4. »Ut omittam reliquas partes Galliae, nam sunt omnes pares." Cf. de Orat. II. 23.

Brutum si quis roget, quid egerit.] Phil. I. 7. »A Caesare (vel quod Gar. mavult, de Caesare) ipso si quaereres, quidnam egisset", Similiter omissa part. *si.* de Fin. IV. 25. »Roges enim Aristonem – Zenonem roges." De Bruto vid. Auct. ad Her. IV. 53. *quid egerit* i. e. agendo studuerit. pro Lig. 4. Phil. XIV. 2. Pro Milon. 4. »Pudicitiam quum eriperet militi," i. e. eripere conaretur, de Fin. I. 7. »Confirmat autem illud" i. e. confirmare nititur; ut docuit Goer. ad h. l.

Coclitem.] Hunc imitatus est Pomponius Eques Romanus, C. Gracchi partes secutus. vide Vell. Pat. II. 6.

Mucium – Decium – immisit in armatas hostium copias.] Conf. pro Sextio. 21. Pro Font. 17. »Qui se armatus saepe in hostium manum – immiserit." Similiter simplex; pro Mil. 28. »Ut in eos se potius mitteret." Conf. Drak. ad Liv. XXXIV. 46. In Decii nomine facete ludit Noster, Phil. XI. 6. »Vide etiam P. Decii auctionem Clarissimi viri, qui majorum exempla persequens, pro alieno se aere devovit."

Duo propugnacula – corporibus suis intercludendum.] In Pison. 4. Leges Aelia et Fusia dicuntur »Propugnacula murique tranquillitatis et otii." de Sen. 20. »Scipiones, qui iter Poenis vel corporibus suis obstruere voluerunt." Phil. VI. 3. »Ut paene corpore suo Gallia prohiberet Antonium." ibid. XII. 4. »Gallia crudelitati M. Antonii suum totum corpus objecit."

 Afri-

Africanus Major.] de Orat II. 61. »Africano illi Majori, coronam sibi in convivio ad caput accommodanti, quum ea saepius rumperetur, P. Licinius Varus: Noli mirari, inquit, si non convenit, caput enim magnum est."

Inter horum aetates interjectus Cato.] Vide Interp. ad h. l. Brut. 64. »Interjectus inter duas aetates." Phil. X. 4. »Fratrum aetatibus medius interjectus."

Quid? innumerabiles alii – videntur?] Hunc locum ita mutavimus, cum antea sic legeretur: *Quid innumerabiles alii? (nam domesticis exemplis abundamus) cogitasse putamus, quidquam in vita sibi expetendum, nisi quod laubabile esse et praeclarum videretur?* Verum emendationis nostrae rationem reddamus. Post *quid* signum interrogandi posuimus, sublatum post *alii.* Conf. Parad. V. 2. »Quid? jam illa cupiditas." ideoque *an* extrusimus, *putamus* etiam, quia aberat in Codd. Voss. 10 et 84. *esse* omisimus, quia in mss. in sede certa vagabatur; pro *videretur* rescripsimus *videntur* e Cod. Vos. 10. Conf. pro Coel. 17. »Nihil in vita expetendum putaret, nisi quod esset cum laude et cum dignitate conjunctum." De domesticis exemplis vid. de Orat I. 2. de Fin. II. 19.

III. *Irrisores hujus orationis.*] de Fin. III. 22. »Sapientis? qui – vereque omnia ista nomina possideat, quae irrideri ab imperitis solent."

Marmoreis tectis seqq.] Praeter ea, quae monuit ad h. l. Gern. vid. Parad. VI. 3. de Legg. II. 1. ibique Moserus et Wytt.

Qui nihil eorum habuit, nihil habere voluit.] Eleganter firmatur negatio ejusdem verbi repetitione. Parad. IV. med. »Si haec nec fecisti nec facere

po-

potuisti." Verr. II. 62. »Hujus ego pecuniae – non habui rationem, neque habere potui." pro Flacco 12. »Illud vero neque suscepit, neque suscipere debuit." Conf. Phil. II. 2. de Pet. Cons. 9.

Quae modo huc, modo illuc transferuntur.] Quae cap. 1. dicebantur *imbecilla et commutabilia pecuniae membra.* Notetur significatio verbi *transferri*, quod usurpatur in concionibus, quando populus, qui adhuc fuerat confusus, jubetur discedere in suam quisque tribum ad ferenda suffragia. Vide fragm. Orat. pro Corn. pag. 1046. Edit. Ern. Tom. XVI. part. II. 22. Edit. Schutz. ex emend. Patricii. »Est utique jus vetandi, quum ea feratur, quamdiu videlicet non perfertur, et quamdiu in tribus suas ii, qui suffragii conveniunt gratia ferundi, transferuntur; id est, prorsus antequam fiat lex, dum privati dicunt, dum tabellae diribentur, dum sitella defertur." ibique Sigonius et Ascon.

Arcte tenent accurateque defendunt.] i. e. *urgent.* Vide Lex. Cic. Schutz. voce *tenere.* Phil. IV. 5. de Fin. IV. 28. »Urgent tamen, nihil remittunt." mox ibidem »Verba mordicus tenent."

Quae mihi vox pecudum – non hominum.] Pariter Stoici reprehenduntur ab Epicureis, de Fin. I. 18. extr. Commode ad h. l. ibid. II. 33. »Quare aliud quid, Torquate, hominis summum bonum reperiendum est, voluptatem bestiis concedamus." de Amic. 6. »Multi etiam voluptates. Belluarum hoc quidem extremum est." Utrumque conjungit de Orat. II. 36. Fragm. in L. Pison. p. 1060. Phil. VIII. 3. »Atque etiam homines agrestes – provehuntur." ibique Garaton. *Voluptas* a Stoicis definitur de Fin. II. 4. ut sit »Sublatio

animi sine ratione, opinantis se magno bono frui." ibique Dav. et Goer.

Sive deus – natura.] de Sen. 12. »Cumque homini sive natura, sive quis deus – dedisset." E Stoicorum disciplina Deum modo mundum, modo naturam nominantium. Vid. de N. D. I. 14. et Turneb. ad Legg.. I. 6. Conf. *Tiedeman* Syst: der St. Ph. Tom. II. 186. seq. *Tenneman* Gesch. d. Ph. Tom. IV. 45. seq. Imprimis Lipsius Physiol. Stoic. L. I. diss. 5. pag. 841 et 842.

Sic te abjicies atque prosternes – interesse?] Eadem conjunguntur Cat. II. 1. »Jacet ille nunc prostratus, Quirites, et se perculsum atque abjectum esse sentit." Non opus est legere cum Schutz, *inter te, atque inter quadrupedem.* de Off. I. 4. »Sed inter hominem et belluam hoc maxime interest." Conf. de Amic. 13.

In potiundis voluptatibus.] Forma antiqua Accusativus huic verbo jungitur. Conf. de Fin. V. 24. Nepos. Eum. 3. Pari structura occurrit verbum *uti* Verr. II. 18. *fungi* de Re Pub. I. 17. Nepos. Dat. 1. Conf. Donatus ad Ter. Phorm. II. 1. 51. et ad Adelph. V. 4. 17.

Gloriando sese et praedicatione.] Exquisita structura gerundium cum substantivo jungitur. Conf. de Amicitia 17. »quam blanditiis et assentando colligere turpe est." Quo loco *assentando* cum *assectando* falso permutatur, ut Par. V. 2. *assentatur* cum *assectatur.* de Re Publ. I. 16. »Quod cum disputando rationibusque docuisset"

Quae plurimorum patrociniis defenditur.] de Re Publ. II. 14 »quorum patrocinio – defenditur." de Orat. III. 17. »Ea philosophia, quae suscepit patro-

trocinium voluptatis." de Fin. III. 1. »Si ipsa (voluptas) pro se loquatur, nec tam pertinaces habeat patronos." Eadem potestate usurpatur *laudare*, ut monuit Goer. Fin. I. 10.

Habenda non est, eaque quo est major.] Haec ita explet Wytt. in Scholis ad h. l. »Habenda non est. Jam vero voluptas in bonis habenda non est; eaque quo est major." Gernh. legit *demovet.* Locis, quae citat Vir Doct. addi possunt. pro Caec. 17. Phil. II. 21. IV. 5. de Fin. IV. 21. Vulgatum retinuimus cum Facc. quem vide vocc. *demovere* et *dimovere.*

Nihil aliud – recte vivere.] Comparetur periodus similiter numerose cadens. Orator 68. »Nihil enim est aliud, Brute (quod quidem tu minime omnium ignoras) pulchre et oratorie dicere, nisi optimis sententiis, verbisque lectissimis dicere."

PARADOXON II.

Ὅτι αὐτάρκης] Vide Betulej. ad h. l.

Nec vero ego.] Par. IV. in. »Ego vero te." Par. V. in. »Laudetur vero hic." Hoc idcirco notavimus, quia Sylvius malebat *nec ego vero*, quod habet Mss. Vos. N°. 10.

Regulum – C. Marius.] Vide Graev. et Gernh. ad h. l. et Ern. cl. Cic.

Magnitudo animi – gravitas, non fides, non constantia, non ulla virtus.] Eadem junguntur pro Balb. 5. »Hunc – gravitate, virtute, constantia praeditum." Pro Reg. Dej. 6. »Cui porro – Dejotari integritas, gravitas, virtus, fides non audita est?" Phil. III. 5. V. 1. de Fin. III. 22. »Quam gravis, quam magnifica, quam con-

stans."

stans." Phil. III. 10. »Magno animo et constanti."

Qui tot virtutum praesidio, tantoque comitatu.] Sic omnes ediderunt. Scripti mire variant; qui error repetendus videtur ex loco Parad. IV. 1. in. »Sapientis animus – virtutibus denique omnibus ut moenibus septus. »Hinc alii post *praesidio* dedere *munitus;* alii, ut Edit. Mog. Anni 1465. post *comitatu* affinxere *septus.*

Cum corpus ejus caperetur – capi.] De Orat. I. 52. »Quae (virtus) et semper et sola libera est, quaeque, etiamsi corpora capta sint armis aut constricta vinculis." de Fin. III. 22. »Sapientis etiamsi corpus constringatur, animo tamen vinicula injici nulla possint." Olim legebatur *carperetur–carpi.*

Vidimus.] De *aequalibus.* Fr. pro Scauro pag. 1057. Ern. »Illa audivimus; hoc vero meminimus ac pene vidimus." Conf. pro Sextio 22. »Memineram, judices, divinum illum virum, atque ex iisdem, quibus nos, radicibus natum ad salutem imperii hujus C. Marium."

Secundis in rebus – in adversis.] Sic Schutz. cum Ernestio. GernhardusGraevium secutus praepositiones delevit. Retinuimus vulgatum. Conf. Rut. Lup. II. p. 122. »In rebus adversis cui praesto est consilium, non potest deesse auxilium." Locus, quem Manutius citat e Bruto, exstat cap. 71. »Vidi enim Mytilenis nuper virum, atque ut dixi, vidi plane virum." Plura dabit Facc. in voce.

Nomen tantum virtutis usurpas, quid ipsa valeat, ignoras.] Pro Sextio 28. »Ignari-quid denique virtus valeret." in Pison. 32. »habet hoc virtus, quam tu ne de facie quidem nosti."

Qui

Qui est totus aptus ex sese - omnia.] Vid. Graev. et Gernh. ad h. l. Confer. Parad. V. 1. »Cujus omnia consilia, resque omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur, eodemque feruntur.” Conf. ad Div. V. 13.

Cui spes omnis, et ratio et cogitatio pendet.] Pro Plancio 23. »Alia te ratio, alia cogitatio ad spem hujus opprimendi excitavit.”

Quod exploratum - unum diem.] De Fin. II, 28. »An id exploratum cuiquam potest esse, quomodo sese habiturum sit corpus, non dico ad annum, sed ad vesperum?” Conf. pro Caec. 25. de Sen. 19.

Terreto, si quem eris nactus, istis mortis-minis.] De Orat. III. 1. »An tu - me his pignoribus existimas posse terreri.” Conf. de pignoribus Abramius ad Phil. I. 5. *Si quem eris nactus.* i. e. si forte in aliquem incideris. pro Mil. 12. »Ut praeclarum videlicet munus - ad aliquem, si nactus eris, qui tuo arbitrio tribunatum gereret, deferre posses.” Cat. I. 10. Phil. III. 9. »Quid autem attinuerit - e senatu vi et minis mortis expellere.”

In tam ingrata civitate - repugnanti.] Pro Mil. 30 »Populi grati est, praemiis afficere bene meritos de republica cives. Viri fortis, ne suppliciis quidem moveri, ut fortiter fecisse poeniteat.” *Non modo non* i. e. *nedum.* ad Att. XIV. 19. »Cui facile persuasi, mihi id, quod rogaret, ne licere quidem, non modo non lubere.” Quem locum Gernhardo debemus.

Laboravi - evigilaverunt curae et cogitationes - consecutus sum.] In Verr. Act. I. 2. »Quod ego meo labore et vigiliis consecutus sum.” Creberrime junguntur, ut Par. IV. 1. »Meas curas, vi-

vigilias, consilia." Conf. Pro Arch. 11. Verr. V. 72. extr. Pro Coel. 19. Phil. IV. 6. pro Domo 57.

Ut eo statu essem, quem neque fortunae temeritas, neque inimicorum labefactaret injuria.] De Amic. 6. »Posita non tam in nostris consiliis, quam in fortunae temeritate." Utroque loco usus est Ruhnk. ad Rut. Lup. II. p. 89. cui adde pro Reg. Dej. 13. »Magno animo et erecto est, nec unquam succumbet inimicis, ne fortunae quidem." Sall. B. C. 35.

Quorum cum vita omnia exstinguuntur – emori non potest.] Pro Arch. 12. »ut nobiscum simul moritura omnia arbitremur?" Brut. 96. extr. pro C. Rab. 10. pro Balb. 6. »Mors enim quum exstinxisset invidiam, res eius gestae sempiterni nominis gloria niterentur." Pro *niterentur* legendum videtur Ernestio *uterentur*. Schutz. locum ita explicat: *quum mors exstinxisset invidiam, Pompeji res gestae niterentur ejus gloria, ut facile possent adversus iniqua judicia consistere.* Nobis in mentem venit; *Mors enim quum exstinxisset invidiam, res ejus gestae sempiterni nominis gloria niterent.* Codicis Voss. Lugd-Bat. 302. fol. *nitescerent* lectio non repudianda, orta forte ex nostro *niterent.* Livius III. 12. »L. Lucretius, Consul anni prioris, recenti gloria nitens." Quidni syllaba *ur* huic loco addi potuerit, ut ea Garatonio abesse visa est pro Domo 44. legenti: »emit domum, licitatoribus defatigatis, prope dimidio carius, quam aestimabatur." pro vulg. *aestimabat* ubi vide Schutz.

Orbem terrarum unam urbem esse ducunt.] Vide Graev. ad h. l. de Legg. I. 23. »civem totius mundi, quasi unius urbis agnoverit." de Fin. III.

19.

19. mundum autem censent – quasi communem urbem et civitatem."

Qui te beatum, qui florentem putas.] Eadem junguntur hujus Parad. fine. »idem et beatum et florens." pro Milon. 34. »Sint florentes, sint beati."

Te torquent: tu dies noctesque cruciaris.] De Fin. V. 10. »cruciari dies, noctes torqueri vellent." ibidem I. 16. »easque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctes atque dies exeduntur." ibiq. Goer. et Ruhnk. ad Rut. Lup. I. p. 11.

Te conscientiae stimulant maleficiorum.] Phil. V. 6. »Scelerum magnitudo, conscientia maleficiorum." De vi Conscientiae videatur Pro Milon. 23.

Te metus exanimant.] pro Milon. 24 »Non poteram in illius mei patriaeque custodis tanta suspicione, non metu exanimari."

Ut Furiae – respirare non sinunt.] Vide Manut. ad h. l. Conf. pro Rosc. Am. 24. »Videtisne – tamen, ut eos agitent Furiae, neque consistere usquam patientur." Virg. Aen. IV. 469. seqq.

Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus.

ibique Heynius. Racinius in Britann. Act. V sc. 6.

Tes remords te suivront, comme autant de Furies.

De verbo *respirare* vid. Schutz. Lex. Cic. in voce.

Quamobrem ut improbo, et stulto, et inerti.] Verr. IV. 41. »Tu ista stultitia, nequitia, inertia – tueri potes?"

Nec vero – non laudanda vita est.] de Sen. 9. »Nec ulli bonarum artium magistri non beati putandi."

PA-

PARADOXON III.

῞Οτι ἴσα seqq.] Videantur de hoc Par. Sylvius et Gernh. Ipsius Ciceronis de eo judicium praestabit de Fin. III. 14. V. 27. *Recte facta* et *vitia* exposita sunt de Fin. III. 7, 11, 12.

Inquit.] Vid. ann. nostra ad cap. 2.

Nec enim – metienda sunt.] De Inv. II. 7. »non enim ex eventu cogitationem spectari oportet, sed qua cogitatione et spe ad maleficium profectus sit, considerari; et quo animo quid quisque faciat, non quo casu utatur, ad rem pertinet." conf. Rosc. Com. 16. Auct. ad Her. II. 16.

Peccare, quo quo verteris, unum est:] Caveamus ne hoc demus; hoc enim concesso, reliqua sibi constabit oratio, ut monuit Noster de Fin IV. 24. confr. Verr. III. 92. »At idem fecit sacerdos. Hominem innocentem et summa prudentia praeditum nominas; sed tum idem fecisse erit existimandum, si eodem consilio fecerit." Lectio duorum Codd. Oxon. *quoquo te verteris*, quam h. l. notavit Gernh. orta est fortasse ex Cap. 6. de Amic. »quo quo te verteris, praesto est." Coll. de Fin. II. 31." »Huc et illuc, Torquate, vos versetis, licet."

Auri navem evertat.] *Evertere* solenne est in re nautica, sic per metaphoram, de Prov. Cons. 4. »tum in illo naufragio urbis, quam tu idem, qui gubernare debueras, everteras." de Re Publ. I. 34.

In re aliquantulum, in gubernatoris inscientia nihil interest:] Pro *aliquantulum* revocavimus *aliquantum*, quod etiam pro *aliquantulum* restituit Davisius de Fin. IV. 24. quem ibi sunt secuti Ern. Schutz et Goer: *Aliquantum* est *multum* Ad Div.

VI.

VI. 4. »Opinio hominum confirmatur, etiamsi inter causas armorum aliquantum intersit, tamen inter victorias non multum interfuturum.” Conf. Heusing. ad Off. I. 1. Rariorem adverbii usum non cepisse videtur Librarius, vel per compendium scripsisse *aliquātum.* unde ortum est in uno Cod. Oxon. *aliqua;tum*, in aliis *aliquantulum.* In joco tulerim *aliquantulum*; nostrum vero Paradoxon ab omni joco abhorrens, res requirebat, quae cum natura, cum hominum judicio quam longissime inter se distarent. Detur unicuique nostrum optio auri navem inter et paleae; post factam electionem si dicatur, in utriusque navis eversione nihil interesse; cui hoc non videatur mirum? Quis tandem erit, qui ipsam Paradoxi indolem desideret atque naturam? *aliquantum* igitur respondet *τῷ nihil.* Conf. omnino de Fin. IV. 27. ubi idem exemplum occurrit, in cujus extremo hoc legimus. »Et si in ipsa gubernatione negligentiâ est navis eversa, majus est peccatum in auro, quam in palea.” Qui locus, una cum Cod. Leid. et Ed. Princ. facit, ut assentiamur Gernhardo, qui pro *inscientia* dedit *inscitia*, ut sit: defectus et scientiae et facultatis, vel imperitia cum temeritate. Vid. Ejusdem Excursus ad calcem Senectutis et Par.

Lapsa est libido – nobili virgine.] Pro si *lapsa est.* quae particula saepissime omittitur; vid. Drak. ad Liv. XXI. 10. Mox hujus Par. cap. 2. *labem libidinis.* Mulier *ignota* i. e. *obscura*, *infima.* Conf. pro Milon 7. Verr. III. 24. *Dolor ad pauciores pertinet.* Auct. ad Her. IV. 16. »Ad quos videt sui dedecoris infamiam pertinere.” *Petulans* Eleganter de Libidine, ut et subst. *petulantia.* Act. I. in Verr. 5. »Quibus liberos conjugesque suas in-

integras ab istius petulantia conservare, non licitum est." »*Nobili virgine.* Conf. Sall. B. C. 15. »Cum virgine nobili, cum sacerdote Vestae."

Quam longe – transeundi culpam.] Conf. in dispari re, Orator. 5. »Habuit profecto comprehensam animo quandam formam eloquentiae, cui quoniam nihil deerat, eos, quibus aliquid aut plura deerant, in eam formam non poterat includere." Ernestius legere malebat *transeuntis culpam.* Ut opinor, bene; quoniam Participia a librariis crebro permutantur in Gerundia. Vide Ruhnk. ad Rut. Lup. pag. 4. Conf. de Sen. 20. ubi Ernest. ex Cod. Erf. pro *moriendi* restituit, *Jam sensus morienti aliquis esse potest*, Vitium ortum videtur ex loco de Amic. 3. »Moriendi autem sensum celeritas abstulit."

Si arguitur non licere.] Phil. XIII. 6. »Siquidem licere dicimus, quod legibus, quod more majorum, institutisque conceditur."

Atqui pares esse virtutes – potest perspici.] De Orat. I. 18. »Mnesarchus dicebat: qui unam virtutem haberet, omnes habere, easque esse inter se aequales et pares." Conf. de Fin. III. 14. *Temperantem.* de Fin. II. 19. » Transfer idem ad modestiam vel temperantiam, quae est moderatio cupiditatum rationi obediens." Quatuor hoc loco recensentur Virtutes primariae, Justitia, Temperantia, Fortitudo et Prudentia. Vide Gernh. ad h. l.

Qui se in aliqua – effuderit?] De pronominis usu pro *alia qua* vide Ruhnk. ad Vell. Pat. I. 17. extr. Conf. Schutz. ad de Re Publ. III. 10 (14). Locus forte ex Platonis Phaedone edit. Wytt. pag. 21. *Φοβούμενοι γὰρ ἑτέρων ἡδονῶν ϛερηθῆναι, καὶ ἐπιθυμοῦντες ἐκείνων, ἄλλων ἀπέχονται, ὑπ' ἄλλων κρατού*

τούμενο. καί τοι καλοῦσί γε ἀκολασίαν τὸ ὑπὸ τῶν ἡδονῶν ἄρχεσθαι· ἀλλ' ὅμως συμβαίνει αὐτοῖς κρατουμένοις ὑφ' ἡδονῶν, κρατεῖν ἄλλων ἡδονῶν.

Una virtus est.] *Una*, est una eademque. De Orat. III. 6. »Una est enim – eloquentia, quascunque in oras disputationis, regionesque delata est." Conf. ibidem 7. de Amic. 23. Virtus, nonnunquam dicitur pro vitiis. Pro Domo. 44. »Posuit scilicet Scatonem illum, hominem sua virtute egentem." ibiq. Manut. cui assentiuntur Wolf. et Schutz.

Nihil huic addi – sit:] Eadem sententia cap. 2. »Cum – nihil possit addi, quo magis peccari posse videatur." Lambinus malebat *huc*. Cui lectioni favent Phil. I. 15. »Huc si quid accesserit." de Fin. III. 10. »Quantumcunque eo addideris." Brut. 43. »Ut eo nihil ferme quisquam addere posset." Phil. XI. 6. »Quo quum addi nihil posset." Attamen vulgatum non rejiciendum. Orator. I. »Quale mihi videatur illud, cui nihil addi possit." ad Div. III. 13. »Cui nihil videbatur addi posse." Praeterea *huic* tam ad *addi* quam ad *demi* referri potest.

Certe ne bono quidem:] *Quidem* h. l. a librariis inculcatum esse suspicatur Ruhnk. ad Rut. Lup. II. p. 129.

Sequitur igitur – pravitates – vitia dicuntur.] Conf. de Fin. IV. 27. et Ruhnk. ad Vell. Pat. II. 10.

II. *A Philosophis, inquit, ista sumis.*] Haec et illa: *Socrates disputabat isto modo.* sunt adversarii, quem sibi facit objicientem Cicero, cui respondet *Metuebam ne a lenonibus diceres.* Sequentia *Bene hercle narras* etc. sunt verba Ciceronis. Bentlejus, cui Gernh. assentitur in addendis pag. 320. legit *inquit.* pro vulg. *inquis.* Similiter initio hujus Par.

 »par–

»parva, inquit, res est." quia haec est formula perpetua in objectionibus, sive eae fiunt ab uno sive a pluribus, sive ab absente sive a praesente. Nos cum Codicum, tum Virorum, qui ab utroque Doctissimo citantur, auctoritati cedendum existimamus; cum difficilior lectio *inquit* facillime in *inquis* abire potuerit. Conf. Ern. in Clav. et Facc. in Lex. voce *inquit*. *Sumis* i. e. *mutuaris*, *petis*. de Fin. V. 3. »Ex eorum enim scriptis et institutis, quum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest."

Quando (i. e. quoniam) verbis inter nos contendimus, non pugnis.] De Orat. III. 53." Quum in oratione non contentione, sed sermone tractatur." ibiq. Pearc. et Ern. Pro Sulla 25. »Quem – non solum verbis – verum pugnis et calcibus." Contra ad Div. VI. Ep. 1. »Dolebamque pilis et gladiis, non consiliis neque auctoritatibus nostris – disceptari" Vid. P. Man. ad Div. IV. 4. Conf. Rut. Lup. II. pag. 121. ibiq. Ruhnk.

Utrum de bonis est quaerendum – senserint.] Verissima lectio, quam revocarit Ern. Conf. de Orat. II. 15. »Vult enim – et de consiliis significari, quid scriptor probet."

Quae vis est, quae magis arceat.] Parad. I. 2. »Quae vis Coclitem." De Orat I. 8. »Quae vis alia potuit." *Arceat.* est, revocet. De Orat II. 9. »Quis a vitiis acrius revocare potest?" Conf. Cat. I. 9. Nepos Dion. 6.

Manus adferant.] Idem quod *manus inferant.* Verr. I. 18. »Manus impias ac sacrilegas afferre." ib. III. 24. »Manus – afferebantur?" Cat. I.

I. 8. »Jam mihi Consuli – senatus manus intulisset.” Conf. Ruhnk. ad Vell. Pat. II. 100.

Quamcunque in domum stuprum intulerint.] Pro Coelio 18. »Ne incurrat in alterius domum atque familiam.” Quod pro vulgato, *atque famam* ex Cod. Memm. restituit Schutz. quem vide ad h. l.

Nihilne igitur interest – servum?] Haec iterum sunt adversarii objicientis. Reliqua *Nuda* seqq. cum Wetzelio et Gernh. Ciceroni tribuenda arbitramur. Parad. I. 1. »Quid est igitur, quaeret aliquis, bonum?” Pro Coelio 17. »Dicet aliquis, Haec igitur est tua disciplina.” De fictis interrogationibus vide Quint. IX. 2. pag. 772.

Nuda.] i. e. sine loco, tempore, sine causa. Mox *Causa haec, non natura distinguit.* de Fin. III. 13. »Etenim, opinio facit, non natura vim doloris aut majorem, aut minorem.”

Liberos emori, quam servos vivere.] Videantur Graev. et Gernh. ad h. l. In Pison 7. »Huic enim populo ita fuerat – libertas insita, ut emori potius, quam servire praestaret.”

Ergo et – nonnunquam.] De Fin. III. 18. »E quo apparet, et sapientis esse aliquando officium, excedere e vita.” Poenam in parricidas, legibus Romanis constitutam, legant harum rerum curiosi, Rosc. Amer. 25 seq.

Quae quando utro accessit, id fit propensius:] *Utro.* Est, in quam duarum partium. Vid. Facc. in voce. Maluit Idem hoc loco legere *protensius*. Vulgatum eleganter tuetur Ernestius, cujus disputatio firmetur, de Orat II. 44. »Si se dant, et, ut ante dixi, sua sponte, quo impellimus, inclinant atque propendent.”

Qui procreavit – collocavit.] De Inv. I. 54.

»Apud quos educatus sis – a quibus eruditus." De Orat II. 28. »Quem procrearit et eduxerit." ad Div. VI. 5. »Ita enim natus, ita eductus es." Hom. Odyss. II. 131. ἥ μ' ἔτεκε, ἥ μ' ἔθρεψε. III. 28. γενέσθαι τε τραφέμεν τε. *Sedes* et *domus* junguntur de Re Publ. II. 5. VI. 12. Verr. II. 65. *sedes* ac *domicilium* ibid. II. 3. *sedes* et *agri*. ibidem III. 55.

Quidquid non oportet, scelus esse, quidquid non licet, nefas putare debemus.] Schutz. ex Wetzelio citat pro Balbo. 3. » Fecisse Pompejum, quod ei facere non licuerit? quod gravius est, quam si id factum ab eo diceret, quod non oportuisset. Est enim aliquid, quod non oporteat, etiamsi licet. Quidquid vero non licet, certe non oportet." Conf. Schutz. Lex. Cic. voce *Oportet*. Eadem verba sibi invicem opponuntur Verr. I. 5. ibidem III. 88. sic *decere* et *licere* pro Marc. 10. *licere* et *nefas esse* pro Balbo 4.

Rerum modum fingere – modum tenere.] Schutz. Lambini conjecturam *figere* recepit in textum, at in Lexico retinuit *fingere*. Vulgatum minime rejiciendum. *Fingere* h. l. est *terminare*. De Nat. Deor. II. 59. »Lingua vocem, immoderate profusam, fingit et terminat." Parad. VI. 3. »Victu atque cultu terminatur pecuniae modus." Tusc. Quaest. II. 19. »Nunquam terminat nec magnitudinis, nec diuturnitatis modum." *Modum tenere* est *moderari*. pro Coel. 18. »Vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem, dummodo illa in hoc genere praescriptio, moderatioque teneatur." Phil. V. 18. »Ne verendum quidem est, ut tenere se possit, ut moderari." Conf. Plautus Mil. Glor. Act IV. Sc. 5, 16.

Histrio si paullum se movit.] Motus histrionis

erat

erat quasi saltatio ad numerum. Conf. Ep. Sod. Phil. pag. 265. de Orat. I. 5. »Aut si versus – exploditur." Orator. 51. »In versu quidem, theatra tota reclamant, si fuit una syllaba aut brevior aut longior." Addantur de Orat. I. 61. III. 50. Hoc loco adversarius fingitur objecisse: Ergo nihil refert, utrum peccem, nec ne: si quidem peccatum non gravius est, quam error histrionis in pronuntiatione aut motu. Ut docuit Celeberrimus Wyttenbachius in Scholis ad h. l. Hinc magis perspicua erunt sequentia, praesertim si legatur: *in vita tu, quae – debet, ut in syllaba, te peccare dices. Vita,* respondet, *syllabae et versui. Peccare* utrique convenit. Eadem lectio pro vulgato. *tu, qui – debes.* placuit Schutz. Bentl. et Gernh. quem vide in *addendis* pag. 321. coll. variis lectionibus Codd. Leidens.

Leviora.] i. e. Minoris momenti. Pro Mur. 19. »Sed, si haec leviora ducis, quae sunt gravissima." Conf. pro Planc. 35. Verr. I. 8. Nepos Praef. et in Att. 13.

Ratione et ordine.] Rosc. Amer. 48. »Laudabunt omnes, si ratione et ordine judicaris." ex emendatione Schutzii.

PARADOXON IV.

Ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται.] Haec inscriptio, et ipsius orationis initium, usque ad *necessariis* cum sequentibus non cohaerent; adeo ut videantur esse extrema pars alterius Paradoxi. Reliqua vero referenda sunt ad illud Stoicorum placitum. *Omnes probos esse cives et omnes improbos esse exsules.*

Conf. Epist. Sod. Phil. pag. 268. seq. Facc. et Gerh. ad. h. l.

I. *Ego vero te non stultum – dementem et insanum.*] de Fin IV. 27. »Stultorum – quos etiam insanos esse vultis." Conf. pro Reg. Dej. 7. Phil. II. 26.

Rebus vincam necessariis.] Haec est Graevii correctio, quam receperunt Ern. Schutz. et Gernh. qui varietatem Codicum diligentissime notavit. *Vincere* pro *convincere*, *docere*, *probare* frequens est. Verr. III. 16. »Docebo cepisse maximas, omnesque eas iniquitates – constituisse vincam." Auct. ad Her. IV. 5. »Si concederem, – vincerem unius oportere." Et bis in epistola Cn. Matii. ad Div. XI. 28. Conf. Gernh. ad h. l,

Sapientis animus – tolerantia rerum human: contemtione fortunae.] Ita hic locus antea legebatur. Bentlejus conjecit: *Sapiens animi magnitudine, consilio, tolerantia, rerum humanarum contemtione,* deletque vocem *fortunae.* Schutzius cum Gernhardo legunt. *Contemtione rerum humanarum, tolerantia fortunae.* uti hunc locum transposuit Cel. Ruhnk. ad Rut. Lup. II. pag. 108. quibus obsecuti sumus. Locis, quae ibi a Cl. Viro citantur, adde de Fin. I. 14. »Sapientiamque esse solam – quae ipsius fortunae modice ferre doceat injurias." ibid. IV. 7. Tusc. Quaest. II. 4. »Te natura-altum et humana despicientem genuit."

Ut moenibus septus.] Vid. notata. ad Parad. II. init. De Fin. I. 16. »Quod si qui – septi esse, et muniti videntur." De Pet. Cons. 7. »Ut quidem homo iners, sine officio, sine ingenio, cum infamia, nullis amicis septus, hominem plurimorum studio atque omnium bona existimatione muni-

tum

tum praecurrat – fieri non potest." Quo loco mallem retinuisset Schutzius *septus*, quam ex interpretis additamento ortum declarasset, etiamsi in duob. Mss. Lamb. et Pal. non inveniatur. Conf. ejusdem capitis init. »Et quamquam partis et fundatis amicitiis fretum ac munitum esse oportet." Magis placet Litteratissimi Viri emendatio *summa infamia* pro *cum infamia*. Conf. Ern. ad Amic. 14. nota 34.

Ferorum et immanium.] Sic recte Ern. pro *furium et immanium.* Rosc. Am. 50. »Quae tam fera immanisque natura." Pro Sulla 27. »Belluae quaedam – immanes ac ferae." de Re Publ. II. 14. Conf. Schutz. Lex. Cic. utraque voce.

Congregata unum in locum.] Cat. I. 13. »Unum in locum congregentur." Verr. I. 8 »Omnium – flagitia si in unum locum conferantur." Phil. IX. 5. »Omnes – si unum in locum conferantur." de Re Publ. II. 1. »neque cuncta ingenia collata in unum." Tacit. Ann. I. 28. »Signa, unum in locum – congregata." Sall. B. C. 17. »In unum omnes convocat." B. J. 55. ibiq. Ciacconius. Liv. Lib. XXII. 52.

Cum leges in ea nihil valebant, cum judicia jacebant.] Verr. III. 30 »Siculos – auxilium a legibus, a judiciis petivisse." ibid. 41. »Non solum legum, ac judiciorum." De horum verborum conjunctione, vide sis, quae monuit Abram. ad Milon. 28. *Nihil valere, jacere*, i. e. *negligi.* Conf. Rut. Lup. I. p. 55. »Lex nihil valebat; magistratis neglegebatur." Aquil. Rom. pag. 184. »Omnium legum, omnia judicia perierunt." Contra *leges* dicuntur *vivere*, cum observantur, vigent. In Vatin. 9. »Leges, Aeliam et Fusiam dico, quae – etiam inter Sullana arma vixerunt, solus conculcaris."

Senatus nomen in republica non erat.] i. e. ut loquitur Vell. Pat. II. 30. »Pompejus tribuniciam potestatem restituit, cujus Sulla imaginem, sine re reliquerat." Nobis legendum videtur. *Senatus nomine in repl., non re erat.* Conf. pro Sext. 12, 15, 19. Vocula *re* excidisse potuit ob sequens *e* in *erat*. *Nomen* et *res* sibi invicem opponuntur Verr. V. 25, 34. de Div. I. 16. Parad. V. 1. »nec hoc tam re est, quam dictu." Vid. Ruhnk. ad Vell. l. l.

Praedonum ille concursus.] Pari sensu Phil. VII. 6. »Concursus civium perditorum." Contra in laudem. Phil. X. 3. Quum Brutus concursu quotidiano bonorum omnium septus posset esse."

Reliquiae conjurationis a Catilinae – scelus furoremque conversae.] In Pison 7. ext. »Quod eandem manum ex intermortuis Catilinae reliquiis concitastis?" seq. Ibid. 9 et 10. Pro Sext. 19. *Scelus et furor* junguntur Cat. I. 6. pro Sext. 6. Phil. X. 3. »Quas legiones ille ab Antonii scelere avertit."

Cum esset in rep: – juris et aequitatis (quae sunt vincula civitatis) repetita memoria.] Div. in Caec. 21. »Haec majorum consuetudo, longo intervallo repetita ac relata." Hic locus forte ob oculos fuit Vell. II. 89. »Finita vicesimo anno bella – furor; restituta vis legibus, judiciis auctoritas; senatui majestas, imperium magistratuum ad pristinum redactum modum; – prisca illa et antiqua reipl: forma revocata:" *Senatus occiderat*, i. e. cui sententias dicere non licebat. Vide Ern. ad Post Red. in Sen. 4. *Jus* et *aequitas*. Pro Caec. 11. ibid. 21. de Off. II. 24. Sic pro Planc. 13. »ubi illa aequitas juris?" de Fin. II. 35. »tollitur

bene-

beneficium: tollitur gratia: quae sunt vincula concordiae." de Re Publ. II. 41.

Ac vide, quam – contemserim.] Acerbioris ironiae formula. Pro Planc. 31. »Vide, quam me – poeniteat." Graev. et Gern. malunt *At vide*; Verum *Ac vide* rectum videtur, cum propter Codd. Leid. consensum, tum ob Div. in Caec. 11. »Ac vide, quantum." ibidem 19. »Ac vide, quid." *Latrocinium*, est cohors latronum.

Jactam et immissam – injuriam – pervenisse.] Similis metaphora a telorum jactu desumta. Cat. I. 6. »Quot ego – tuas petitiones ita conjectas, ut vitari non posse viderentur, parva quadam declinatione et, ut ajunt, corpore effugi?" *Jacere telum* est Topic. 17. *Conjicere* in Vat. 5. Apud Nep. Dat. 9. Pro Archia 10. »Quo manuum nostrarum tela pervenerint." Auct. ad Her. IV. 28. »Quod si aliquod telum saepius perveniat in eandem partem corporis." Conf. Virg. Aen. II. 544 – 546.

Cum parietes disturbabas – faces inferebas.] Praeter loca a Gernh. laudata, videantur Cat. III. 9. »Qui – sunt funestos ac nefarios ignes inferre conati." pro Milon. 32. Vell. Pat. II. 45.

Auferri – eripi – amitti.] Parad. VI. 1. »Aufers – eripis." ibid. 3. Eripi – surripi – amittitur."

Quibus respla te invitissimo stat.] i. e. incolumis est et salva. Conf. pro Rab. Post. 8. »Quo cum stante, si me Cn. Pompeji auctoritas in gratiam non reduxisset, nunc jam ipsius fortuna reduceret." i. e. fortuna adversa, quae eleganter opponitur τῷ *stante*. In Caec. Div. 6. »Tamen his invitissimis te offeres." i. e. ut pro Sext. 7. »Multis repugnantibus."

 Re-

Reditum – exitum calamitosum.] Venuste variavit notionem vocis *exsilium*, appellans modo *exitum*, modo *discessum*, modo *iter*. Parad. I. 2. »Quid egerit – quid spectaverint, – quid secuti sint, – propositum fuisse.” Conf. Cel. Heyn. ad Aen. II. vs. 20. In Pison 14. »Quae meus discessus reipl. vulnera inflixit? qui si calamitosus fuisset.” de Prov. Cons. 19. Mihi ipsi omnino perhonorificum, discessum meum funus dici reiplae.” *Reditus* et *discessus* junguntur pro Milon 37.

Cum meam salutem – exteris nationibus.] Praeter Sext. 60 et Pison. 15. Vid. pro Planc. 32. pro Sext. 22. *Exterae nationes*, sunt, »quae in amicitiam Populi Romani, ditionemve issent.” Vide Div. in Caec. 20. ex emendatione Garatonii et Goerenz. laud. a Schutz. ad eum locum.

An tu civem ab hoste natura ac loco, non animo factisque distinguis.] Bentl. conjecit: *natione ac loco*. Vulgatum non tentandum. *Natura ac loco*, est *nascendi loco*; loco, quo quis natus est. Phil. VIII. 4. »Sin eos, qui natura cives sunt, voluntate hostes, salvos velis.” *Natura* et *animo* junxit. Verr. V. 71. Ceterum *natura filius* vulgo naturalis, opponitur *filio judicio et voluntate*, vulgo adoptivo. Pro Rab. Post. 17. »Hem, Postume, tune es Curii filius, C. Rabirii judicio et voluntate filius, natura sororis.” Hic enim erat adoptatus a Rabirio, fratre matris Postumi, quam duxerat C. Curius. Sic *natura pater* est pater naturalis. Phil. III. 6. »Ignobilitatem objicit C. Caesaris filio, cujus etiam natura pater, si vita suppeditasset, Consul factus esset” ibiq. Garatonius et Wernsdorff, qui hanc lectionem defendunt contra Ern. et Schutz.

Nunquamne, homo amentissime, te circumspicies.] *Amens.* Solenne epitheton improborum. Vid. Verr. IV. 9. 12. pro Sext. 19. in Pison. 9. Phil. V. 13. *Circumspicies.* de Fin II. 35. »Tute introspice in mentem tuam ipse." pro Scauro. 13. »Cum vero omnia absint, tamen se non respicient, non gentis suae famam perhorrescent?"

Scelerati atque impii.] Eadem copulantur adjectiva. Pro Sext. 4. pro Reg. Dej. 1. Phil. III. 4. Substantiva. Pro Reg. Dej. 1. »Castor – commendationem ineuntis aetatis ab impietate et scelere duxit." Cui adde Phil. XI. 7. »Habet sceleratam impiorum manum."

Num appellatur inimicus.] Id retinuimus cum Ern. et Grutero, quem vide ad h. l. Cum quibus consentiunt etiam Codd. Leid. et Editio Princeps. Schutz. legit. *Non appellatur sicarius.* Gernh. *Non expelletur is.* Bentl. *non appelletur inimicus.* Cui tandem non occurrit illud Poetae? »Scinditur incertum studia in contraria vulgus."

Ante senatum – deflagravit.] Vid. Gernh. ad h. l. *Templa.* intellige *loca publica.* Simili loco dixit de tribunali ubi habentur conciónes. de Orat. II. 47. »Vi pulsum ex templo L. Cottam et T. Didium." ad quem locum consule Ern. De Rostris Verr. III. 96. »Qui quotidie templum tenet." Conf. Ern. ad cap. 42. pro Domo.

Profero.] i. e. Commemoro. Verr IV. 52. »Commemorabo et in medium proferam." ibid. V. 4. »Commemorabo et proferam."

Si in opertum Bonae Deae accessisses.] Multus est ad h. l. Gernhardus. In Pison. 39. »Quum Clodius stuprum Bonae Deae pulvinaribus intulisset." Hinc dicitur pro Sext. 12. »Omnium rerum divinarum humanarumque praedo."

At te id fecisse, etiam gloriari soles.] Similis vitiorum laus. *Phil.* II. 3. »Quem ipse victor, qui tibi, ut tute gloriari solebas, detulerat ex latronibus suis principatum, salvum esse voluisset.« ibid IV. 6. »Nam, quod se similem esse Catilinae gloriari solet.« de Prov. Con. 5. Contra de Nat. Deor. III. 36. »Propter virtutem enim jure laudamur et in virtute recte gloriamur.« Conf. Parad. I. 3. extr. Hinc sua forte Rutilius I. pag. 16. »Nullum est enim vitium, quo virtutis laude gloriari possis.« ibique Ruhnkenius.

Romae sum, inquit.] Conf. notata ad Par. III. 2. Addatur Plaut. Mil. Glor. Act. I. Sc. 1. vs. 61.

PARADOXON V.

Ὅτι μόνος etc.] De hoc Paradoxo videndus Graevius ad h. l. cujus annotationem in suam editionem recepit Gernhard.

I. *Laudetur vero hic imperator:*] Alii alios Imperatoris titulo indignos hoc loco intellexerunt, Lucullum, Crassum, Antonium, alios. E quibus cum nondum sit exploratum, quisnam sit eligendus vel designandus; liceat nobis alium commemorare, in quem ista reprehensio jure cadere posse videatur, Pisonem scilicet. Vide in Pison: 17. »Est hoc novum: multo illud magis: Appellatus est hic vulturius illius provinciae (si Diis placet) Imperator.« de Prov. Cons. 6. »Hosce igitur Imperatores habebimus? quorum alter (Piso) non audet nos certiores facere; ne Imperator appelletur.« ibique Schutz. Ern. quem cum Manutio conferas ad cap. 16. de Har. Resp.

Cui

Cui tandem hic libero – cupiditatibus suis imperare?] Recte Sylvius eumque secutus Gernhardus monuerunt, servis antiquo jure Romano non licuisse militare. Uterque tamen Vir Doctus eodem errore videtur lapsus, in loco Liv. XXII. 37. cum ibi nec de *liberis* agatur, neque de *servis*. Legati ab Hierone Romam missi, senatui offerebant levioris armaturae *auxilia*, quibus contra Baliares et Mauros, quos secum duxerat Hannibal, uterentur. Ita h. l. *militi* i. e. ut docuit Dukerus, *peditibus atque equitibus Romanis Latinique nominis* opponuntur *auxilia externa*, non *servi*. Ejusdem vero libri Cap. 57. refert Livius, post cladem apud Cannas, servos, *inopia liberorum capitum*, armatos esse. De Amic. 22. »Primum cupiditatibus iis, quibus ceteri serviunt, imperabunt." De Re Publ. I. 34. »Cum is, qui imperat aliis, servit ipse nulli cupiditati." ibidem II. 25. De Fin III. 22. »Rectius enim appellabitur rex, quam Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit." Vell. Pat. II. 48. ex emend. Ruhnk. »Cujus insanis cupiditatibus et libidinibus neque opes ullae, neque voluptates sufficere possent."

Refrenet primum libidines.] Leg. Agr. II. 20. »O libidinem refrenandam" i. e. cohibendam, domandam. Pro Milon 28." Nunquam ille effrenatas suas libidines cohibuisset." Verr. I. 24. »At indomitas cupiditates atque effrenatas habebat."

Iracundiam teneat.] Conf. Verr. III. 1. Pro Marcel. 3. *Dedecus et turpitudo* juncta leguntur Verr. III. 4. »Cum summo dedecore ac turpitudine." ibid. 24. Pro Cluent. 4. Auct. ad Herr.

Herr. IV. 17. »Liber is est existimandus, qui nulli turpitudini servit."

Non modo imperator – omnino non.] Exquisite *non* ad utramque sententiae partem refertur. De Orat. I. 53. ex recens. Schutz. »Rutilius non modo supplex judicibus esse voluit, sed ne ornatius quidem, aut liberius causam dici suam, quam simplex ratio veritatis ferebat." Multa hujus structurae exempla congessit Muret. Var. Lect. X. 7. Conf. Drak. ad Liv. XXV. 26. cit. a Gernh.

Praeclare enim est hoc usurpatum a doctissimis.] i. e. dictum a Philosophis. Rosc. Amer. 13. »id quod praeclare a sapientibus dicitur." de Orat. I. 2, 20. II. 29. add. Ruhnk. ad Jul. Ruf. p. 265. ad Div. III. 8. »doctissimis hominibus, quorum sunt – praeclarissime scripti libri."

Quorum auctoritate – perdidisse.] Simillima orationis elegantia sibi eorum, qui audiunt, conciliat animos. de Orat. I. 42. pro Cluent. 41. pro Mur. 29. in Pison. 28. *Agrestes* intellige *indoctos*. Part. Orat. 25. »hominum duo esse genera: alterum indoctum et agreste." Brut. 27. »addebat eundem in exercitationibus, commentationibusque multum operae solitum esse ponere."

Dictum est igitur.] De usu part. *igitur* et *sed* ad orationem continuandam, vide Ern. Cl. Cic. in vocibus. De part. *autem*. Heusing ad Off. I. 1. »Sed tamen nostra." de δὴ, οὖν, γοῦν. Hemst. ad Lucian. I. pag. 322. Pari significatione usurpatur *inquam*. Pro Milon. 31. Phil. II. 26. Verr. I. 23. II. 74. de Fin. III. 4.

Nisi sapientem, liberum esse neminem.] Exquisita verborum compositio, quâ *neminem* in fine ponitur. Mox. »nisi qui ita sit affectus, esse liberum

ne

neminem." de Sen. 4. »illo exstincto, fore, unde discerem, neminem." de Re Publ. II. 25. »docuit, in conservanda civium libertate esse privatum neminem." ad Div. VI. 1. ext. ibidem 11. »ut plus debeam nemini." quae verba recte sic ordinavit Martyni - Laguna.

Qui recta sequitur.] Contra, qui prava sequuntur, dicuntur *quaerere Maeandros.* In Pison. 22. »quos tum Maeandros - dum omnes solitudines persequeris, quae diverticula flexionesque quaesisti?" Conf. Facc. in lexico et Schutz. Ind. Hist. et Geog. in voce. Particula *dum* in re praeterita, juncta cum forma praesentis, ponitur pro *interim dum.* Vide Heinr. ad fragm. pro Tull. 12. »pecuniam - dum vult in praedio ponere, non posuit, sed abjecit." Conf. Sall. B. C. 58. »quoque modo, dum ex urbe praesidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim." Eutr. V. 7. »Nam dum Sylla - vincit - bellum in Italia repararunt." ubi 2 Leid. Mss. habent *vicit.* Cf. Var. Lect. a Verheykio notatae. Phaed. I. fab. 13. 9.

Via considerata atque provisa.] i. e. certo consilio munita. Conf. Graev. ad h. l. Verr. I. 6. »mea quidem ratio - in reliquis explorata atque provisa est." de Re Publ. IV. 2. »Considerate - quam sint provisa sapienter."

Ab ipso proficiscuntur - feruntur - judicium.] Sic omnes ediderunt. Si quid mutandum, malim legere *referuntur.* Haec enim horum verborum structura Ciceroni familiarissima est. Phil. IX. 5. »Itaque ea, quae proficiscebantur a legibus - ad aequitatem referebat." de Fin. II. 18. »proficiscantur a natura - ad utilitatem referantur." III. 18. »ab his omnia proficiscantur - ad ea referri omnes." de Amic. 2. »hanc

esse in te sapientiam existimant, ut omnia tua in te posita ducas." *ab ipso* scilt. a *sapiente*. De usu hujus pron. ut graec. *αὐτός* vid. Goer. ad Fin. I. 19. »optime vero Epicurus, quod exiguam dicit fortunam intervenire sapienti, maximasque ab eo et gravissimas res consilio ipsius et ratione administrari." Conf. de pron. *αὐτός* Wytt. Sel. Pr. Hist. 455.

Cui quidem etiam – moribus.] Pro Leg. Man. 16. »non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam." Hinc sua forte Vell. Pat. II. 35. »Cato semper fortunam in sua potestate habuit." pro Balbo 4. »In Pompejo ita summa fortuna, cum summa virtute certavit, ut omnium judicio plus homini, quam Deae tribueretur." Conf. pro Milon. 29. Pro Marcel. 2. »Quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina, Fortuna." Praeter Plautum in Trin. II. 2. 84 et Nep. Att 11. Quibus cum nostro loco usus est summus Wytt. Bl. Crit. vol. III. pag. 19. Vide Sall. B. C. 2. »Fortuna simul cum moribus immutatur." ibid. 35. ubi Catilina scribit: »Se – fortunae cedere."

Quod etsi ita esse pluribus – et breve.] Pro Rosc. Am. 42. »De quibus si coepero dicere, pluribus verbis sit disserendum." *Tamen* i. e. *Saltem*. Phil. I. 4. »Ut – hujus tamen diei vocem, testem reiplae relinquerem" Ex emend. Mureti, cui assentitur Garatonius, quem vide ad eum locum. *Breve* recte retinuerunt Editores, neque opus est legere *brevi*. pro Sextio 5. »Longum est ea dicere, sed hoc breve dicam."

Non enim ita dicunt – nexu.] i. e. Non ita intelligi volunt. de Fin. III. 20. »Jovem quum – dicimus

cimus – hoc intelligi volumus." ibid 11. »Quum dicimus esse fugienda – non ita dicimus." Phil. VII. 6. »Quem gladiatorem non ita appellavi." De *nexu* Vid. Briss. de V. S. in voce. Pro Caec. 35. »Ut Sulla non sustulerit horum nexa atque hereditates." De Re Publ. I. 17. »Nec civili nexo."

Sed in servitus sit, sicut est, – arbitrio carentis suo.] Structura Ciceroni usitata. Phil. II. 28. »Quamvis sine sensu sis, ut es." IV. 4. »Quamvis impii, nefariique sint, sicut sunt." XI 9. »Quamvis animus tuus sit C. Pansa, sicut est." Conf. de Orat I. 53. de Re Publ. III. 2. ibique Ang. Maj. *Abjecti.* De hujus vocis proprietate vid. Ruhnk. ad Rut. I. pag. 45. Coll. Phil. II. 32. »Quis unquam apparitor tam humilis, tam abjectus." *Arbitrio carentis suo.* Phil. VI. 2. »Quid enim ille unquam arbitrio suo fecit, semper eo tractus, quo libido rapuit, quo levitas, quo furor, quo vinolentia?"

Denique.] i. e. verbo. Hujus Parad. 2. ext. »Quid denique non servi inertis?" Verr. IV. 45. »Acerbum, indignum, luctuosum denique." Pro Balbo 9. »Servos denique." De Sen. 12. »Nullum denique scelus." Nepos Reg. 2.

II. *An ille mihi liber – appellandum puto.*] Videatur Wytt. in annot. ad Plut. de Virtute et Vitio. Tom. VI. part. II. pag. 687. seq. Conf. Rut. Lup. I. pag. 67. locum citans ex Lysia, de uxore rixante. *Iubet, vetat.* ter junguntur de Re Publ. III. 17. *Imperanti – recusare.* Verr. III. 87. »Quod praeterea Verres imperat, id – recusent." *Familia* h. l. *gente amplissima;* mox, pro servorum numero.

 At-

Atque ut in magna familia – nimio opere delectant.] Conf. Ern. Bentl. et Gernh. ad h. l. Nos vulgatum tuemur. Locus ita explicandus videtur: Atque ut inter servos ii, qui meliore sunt conditione, quam ceteri conservi, minime tamen sunt liberi, sed servi, licet se servitio exemptos somnient; sic illi, *quos – delectant*, egregie falluntur, cum, ut servi in dominorum, ita ipsi in tabularum signorumque sint potestate. Hinc etiam intelligenda, quae sequuntur. *Mitto unde – servum te esse – judico.* Comparatio igitur non est de *stultitia*, sed de *falsa eorum opinione*, qui servientes, se liberos esse existiment. Phil. II. 26. »Felix, ut sibi quidem videbatur.« Conf. Brut. 83. de Hegesia. De *Atriensibus* ac *Topiariis* Vide Pignorium, et Popmam in Commentariis de Servis et Servorum Operis. Indices loca indicabunt. Similem locum habuimus Parad. I. 3. cui add. Verr. IV. 59. »Haec opera atque artificia, signa, tabulae pictae, Graecos homines nimio opere delectant.« De Corinthiorum Operum pretio Vid. Rosc. Amer. 46. Perfecta erant ex aere temperato. i. e. ex variis metallis inter se commistis. Verr. IV. 44.

At sumus inquiunt – magna inquis bella gessi – imperiis.] Sic antea legebatur. Vid. notata ad Par. III. 2. *Inquiunt.* ex proxime antecedenti *sumus* ortum. De utroque Vid. Var. Lect. Conf. hujus Par. cap. 3. in. *Imperii, provinciarum.* Pro Balbo 19. »Qui jam imperia ac bella gesserunt.« Conf. in Pison 16. ad Div. V. 1.

Mitto, unde sustuleris et quomodo habeas.] Elliptice pro *Mitto quaerere.* Rosc. Am. 19. »Mitto quaerere, qua de causa.« Verr. II. 74. »Non, inquam, jam quaero, unde haec habueris.«

ibid.

ibid IV. 16. »Si quas tabulas profers, in his, quid habeas, quomodo habeas, scriptum non est.” Notetur verbi *habere* potestas in ratione reddenda. Verr. I. 23. »Habes, quomodo emeris.”

Intuentem te, admirantem.] Pro Reg. Dej. 7. »Hominum te intuentium atque admirantium.”

Festiva? sint – oculos eruditos.] *Festiva* Intellige, *concinna*, *elegantia*. Conf. in Pison 29. Quod h. l. *Visui*, idem judicium tribuitur *Gustatui*, Pro Arch. 7. *Auditui*, ibid. 3. Orat. 34. Coll. Hor. A. P. vs. 274. *Videndi* vero sensus haud raro dicitur pro ceteris sensibus, ut monuit Goer. ad Fin III. 4.

Ut oblectamenta puerorum.] In Pison 25. »Inania sunt ista, mihi crede, delectamenta paene puerorum.”

Cupidissime tractantem – pertractantem.] i. e. Considerantem. Verr. IV. 15. »Quin L. Sisennae argentum tractaret et consideraret.” ibid. 27. »Iste unumquodque vas in manus sumere, laudare, mirari.” De Re Publ. I. 10. »Tractare manu.”

Quorum in villa ac domo – ipsos.] Verr. I. 21. »Quorum domus, quum honore et virtute florerent, signis et tabulis pictis erant vacuae.” Conf. Sall. B. C. 12. Val. Max IV. 3. § 6. De Re Publ. III. 2. »M' Curius.

quem nemo ferro potuit superare nec auro.” ibique Ang. Maj. Coll. Juv. Sat. XI. 78.

Summis populi beneficiis usum.] Formula usitata de honoribus et magistratibus. Verr. I. 5. V. 68. De Prov. Cons. 16. Phil. I. 6. XIV. 9. Eandem sententiam aliter effert Vell. Pat. II. 89. »Principes viri, triumphisque et amplissimis honoribus functi.”

Quem nutum locupletis orbi senis non etc.] De Orat I. 60. »Nam quod dicis, senectutem a solitudine vindicari juris civilis scientia: fortasse etiam pecuniae magnitudine." Noster locus ante oculos obversatus fuisse videtur Ingeniosissimo Gallo La Bruyere Caract. Cap. 6. pag. mihi 144. *Le caractère de celui.* seqq. *Loquitur ad voluntatem* i. e. assentatur. Conf. Ruhnk. ad Rut. II. p. 134. Plaut. Mil. Glor. Act. I. sc. I. vs. 35. »Et assentandum est, quidquid hic mentibitur." *Assectatur.* Vid. Facc. in voce.

III. *Cupiditas honoris – vehemens.*] Pro Milon. 16. »Scio enim, quam timida sit ambitio, quantaque et quam sollicita cupiditas consulatus."

Cethego homini non probatissimo.] Vide Gernh. ad h. l. Simili imminutione utitur Cap. 2. hujus Paradoxi. »Non honestissimum locum." Conf. Brut. 58. »Latine non pessime loquitur." Pro Planc. 5. Verr. III. 27. Auct. ad Her. IV. 38. Nepos Ages. 8. Hom. Odyss. IV. 199. οὔτι κάκιςος ᾿Αργείων.

Precari, denique supplicare.] De Amic. 16. »Precari ab indigno, supplicare." Rut. Lup. I. pag. 70. »Supplicem precari."

Excessit – exortus ex conscientia peccatorum timor.] Pro Domo 35. »Extinctum est jam illud – Aliud exortum est." Verr. V. 29. »An te, id quod fieri solet, conscientia timidum suspiciosumque faciebat?" Conf. in Pison 41. extr.

Adolescentibus paulo loquacioribus.] Videatur Ern. et Gernh. ad h. l. Conf. pro Coel. 30. Div. in Caec. 7 et 21. Pro Cluent. 20. extr. de Pet. Cons. 1.

Judex vero – afficit?] i. e. timor judicis. Sall. B. C. 14. »Aut pro factis judicium timentes." De Re Publ. III. 12.

L.

L. Crassi copiosa magis quam sapiens oratio. Seqq.] Part. Orat. 23. »Nihil enim est aliud eloquentia, nisi copiose loquens sapientia.” de Orat. II. 23. ext. »In qua nihil illi defuit, quod non modo copiosus, sed etiam sapiens orator habere deberet.” *Eripite* etc. Hanc Crassi orationem non levissime perstringit, de Orat. I. 52. Cui addatur reprehensio Antonii Caesari diadema imponentis, Phil. II. 34. Festive recenset mandata, quae M. Antonius legatis dederat ad Senatum, Phil. VIII. 9. Ejusdem litteras ad Hirt. et Caes. Phil. XIII. 10. seq. Quibus addatur recensio Epistolae Epicuri morientis ad Hermachum. de Fin. II. 30.

Quae est ista servitus.] Phil. I. 6. »Quaenam, malum, est ista voluntaria servitus.” Conf. Aquil. Rom. pag. 191.

Omnis animi debilitati et humilis et fracti.] Pro Planc. 20. »Ut fracto animo atque humili supplicarent.” Post Red. in Sen. 15. »Quod meum animum frangere aut debilitare possit.” de Amic. 16. »Abjectior – fractior.” Conf. ad Div. IV. 7. Coll. Parad. huj. cap. 1.

Dominum mutare, non liber esse vult.] Brut. ad Cic. epist. 16. init. »Ut prorsus prae te feras, non sublatam dominationem, sed dominum commutatum esse.” Phil. II. 14. »Non solum regem, sed regnum etiam de repla sustulissem.” de Re Publ. II. 23. extr.

Et possumus et debemus.] Haec verba citantur ab Auct. ad Her. IV. 3. Conf. Phil. VI. 7. »Populum Romanum servire fas non est.”

Animo excelso et alto et virtutibus exaggerato.] De Fin. II. 14. »Altum quiddam et excelsum.” Pro Milon 8. »Pompejus homo sapiens et al-

alta quadam et divina mente praeditus." Ubi voces *et divina* Ernestio videntur e gloss. ortae; cui non assentimur. Vid. de Amic. 9. »Nihil enim altum, nihil magnificum ac divinum suspicere possunt." Phil. III. 2. »C. Caesar adolescens – incredibili ac divina quadam mente atque virtute." Tusc. Quaest. II. 4. »Te natura excelsum quendam videlicet et altum et humana despicientem genuit," de Fin. III. 8. »Vir altus et excellens, magno animo, vere fortis, infra se omnia humana ducens."

Debet, nisi quod est turpe non reddere.] Phil. XIII. 11. »Et te, o Puer – qui omnia ejus nomini debes. Debet vero, solvitque praeclare."

Ille videat – liberum quidem – ratio et veritas ipsa convincat.] Conf. cap. 1. »Non modo imperator, sed liber – non erit." De Pisone et Gabinio, In Pison. 13. »Quis vos non modo Consules, sed liberos fuisse putet?" Phil. III. 5. »Hunc igitur ego Consulem – hunc liberum – putem." Conf. de Amic. 24. Par. I. 1. »Vera ratio valebit." de Orat. I. 53. »Quam simplex ratio veritatis ferebat."

PARADOXON VI.

Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος. Conf. Sylvius ad h. l.

I. *Quae est ista – insolens ostentatio.*] Crassum intelligi, absque omni dubio esse videtur. De Re Publ. I. 15. extr. »Neque insolens ostentatio." de Orat. II. 84. »In quibus est summa laus – non fuisse insolentem in pecunia." Rosc. Amer. 8. »Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, inso-

solens in aliena." *Quae est ista.* Structura nostro familiaris. Pro Rege. Dej. 12. Phil. I. 9. XIV. 1. de Amic. 13. Ordine inverso. Phil. II. 42. »Ista vero quae – barbaria est?"

Ego me audivisse et didicisse non gaudeam?] Non respondent haec antecedentibus; sed veluti exclamat, nunc demum sibi profutura ea, quae aliquando didicerat, quibus stultum istum confutaret. Pro Sext. 21. »Tam eram rudis? nihil audieram? nihil videram? nihil ipse legendo, quaerendoque cognoveram?" Saepius haec verba junguntur. Conf. de Orat. II. 20. 36. pro Planc. 39. Pro Mil. 4. Epist. ad Brut. 9.

Aut, hoc verbum, in quo homine ponimus?] Tusc. Quaest. III. 34. »De omni casu, in quo nomen poni solet calamitatis." Conf. Ern. Cl. Cic. voce *nomen.* Exquisite pro vulgari *imponere*, quod frequens est. Conf. de Fin. II. 23. III. 4. Rut. Lup. II. pag. 119. ex em. Ruhnk. »Non haec est, ut vulgari verbo appellatur, calamitas. Quid igitur? Quod proprium imponam nomen, nescio."

Quaerat – appetat – optet.] Mox cap. 3. »Appetunt – egent – deesse sentiunt – requirunt." Auct. ad Her. IV. 37. »Quaero – desidero – requiro." de Re Pub. II. 38.

Animus oportet tuus se judicet d. n. h. s. n. possessiones tuae.] Gernh. edidit *te judicet*, cum Graevio, quem vide ad h. l. Nos cum Ern. et Schutz. tuemur *se.* Verba *Animus oportet tuus se – tuae.* quae mox paucis repetuntur, *Animus hominis, dives, non arca appellari solet.* continent argumentum sive thesin, quam in hac exercitatione probandam sibi sumsit orator: *Divitias, scilicet, veras non in pecuniae magnitudine, sed in animo*

contento esse sitas. Quibus positis, ut in aliis Paradoxis, fingit sibi adversarium, quem reprehendat, cujusque aviditate pecuniae illud efficiat; *nisi, qui contentus sit rebus suis, esse divitem neminem.* Conf. cap. 3. Pertinet igitur *se* ad thesin: reliquae secundae personae ad adversarium. Vitio, nostro quidem arbitratu, ansam dedit inscriptio, quam ne huic Paradoxo appinxerit falsam librarius, vehementer veremur. Primum enim in tota disputatione nulla fit mentio *Sapientis;* deinde omnis oratio in eum potius videtur conferenda, qui omnis temperantiae sit expers. Conf. mox *qui – innumerabiles cupiditates habet.* Inscriptionem itaque sic refingamus: ὅτι μόνος ὁ σώφρων πλούσιος. Animus enim cupiditates cohibet, suisque rebus est contentus, quia *se* judicat divitem. Quod egregie h. l. probavit Cicero. De *Temperantia* Vid. Tusc. Quaest. V. 14. et Sturtz. Lex. Xen. voce σωφροσύνη. Thesis deprompta est ex Xen. Symp. IV. § 34. οἱ ἄνθρωποι οὐκ ἐν τῷ οἴκῳ τὸν πλοῦτον καὶ τὴν πενίαν ἔχουσι, ἀλλ' ἐν ταῖς ψυχαῖς.

Sin propter aviditatem pecuniae – turpem putas.] Phil. V. 8. »Quam avidum in pecuniis locupletium.” Leniore sensu, de Sen. 14. Rut. Lup. II. p. 78. »Summas divitias, summam virtutem existimabat.” Xen. l. l. § 35. πάντα μὲν πόνον, πάντα δὲ κίνδυνον ὑποδύονται ἐφ' ᾧ πλείονα κτήσονται.

Cum isti ordini ne honestus – ullus.] i. e. concessus. Verr. III. 84. »Quaestus, sed is honestus atque concessus.” Senatorio ordini, in quo erat Crassus, non licebat quaestum facere, Equestri vero licebat. Pro Planc. 9. »Flos enim Equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reiplae, publicanorum ordine continetur.”

Si quotidie fraudas – socios spolias – exspectas

tas – supponis.] Conf. Phil. V. 9. Auct. ad Her. IV. 27. Verr. I. 22. »Vidi collucere omnia – spoliis sociorum atque amicorum." Phil. I. 7. »In libellis se uno auctore prolatis, ac ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis." De verbo *Exspectare* vide Ruhnk. ad Rut. Lup. pag. 20. seq.

Quantum cuique – divitiarum modum.] Mox. »Quantum enim cuique opus est, ad id accommodatur divitiarum modus." Cap. 3. »Non aestimatione – terminatur pecuniae modus." Pro Domo 58. »Etenim ad nostrum usum propemodum jam est definita moderatio rei familiaris." ibique Ern. Nepos Att. 14.

Ex te audierunt, cum diceres – vix potest.] De Orat. II. 33. »Ex eo audivi, quum diceret." De Fin. I. 11. V. 19. Vell. Pat. II. 46. ad Div. III. 7. »A Pausania – audivi, quum diceret." *Vix*, i. e. magna cum difficultate. Pro Reg. Dej. 8. »Antea quidem Dejotarus majores copias alere poterat: nunc exiguas vix tueri potest." De Orat. I. 9. pro Rab. Post. 15. Phil. X. 5. Rut. Lup. II. pag. 126. Virg. Aen. IV. vs. 545. Vectigalia in provinciis redibant vel ex *scriptura*, vel ex *decumis*, vel ex *portu*. Conf. Oratio pro Leg. Man. imprimis Cap. 6.

Hoc proposito.] i. e. constituto. de Fin. IV. 19. Sic simplex *ponere*. Orator 4. de Fin. III. 12.

Reficiatur.] Usitatum verbum de reditu fundorum. Verr. III. 50. Rarius occurrit *meritare*, quod l. l. legitur. »Ut, si quis villicus ex eo fundo, qui H-S dena meritasset." Quam lectionem recepit, auctore Ernesto, Schutzius.

Egestatem ac mendicitatem.] Junguntur Cat. IV. 5. »Ut omnes animi cruciatus et corporis, etiam egestas ac mendicitas consequatur."

II. *Operis dandis.*] i. e. opera sua aliis mercede locanda. Vid. Gernh. ad h. l.

Publicis sumendis.] i. e. redimendis, conducendis aedibus publicis, vel sacris reficiendis. Similiter de *decumis*. Verr. III. 64. »Nam, nisi ita esset, cur tu Apronium malebas, quam Minucium decumas agri Leontini sumere." Opus publicum memoratur. de Har. Resp. 8.

Domi tuae – quis hunc.] Pro *hunc* malunt nonnulli *Quis te*. Simillima enallage usus est, Phil II. 16. »Te – fecit heredem – tanquam heres esset, invasit." Quam lectionem defendit Garaton. De structura in una periodo variata, videatur Ruhnk. ad Rut. II. pag. 95.

Accusatorum et judicum.] Act. I. in Verr. 13. »Quod inventus est Senator, qui, quum judex esset, in eodem judicio et ab reo pecuniam acciperet, quam judicibus divideret, et ab accusatore, ut reum damnaret?" Conf. Verr. II. 32. Phil. V. 6.

Nocentes et pecuniosos reos.] Praeter Act. I. in Verr. 1. laud: a Sylvio, conf. ibidem 16. »Possitne – homo nocentissimus pecuniosissimusque damnari." Anth. Lat. III. 73. pag. 513. ex emend. Ruhnk. ad Rut. I. pag. 53.

»Nec jam divitibus tollunt sua crimina numi,
Sed, quos lex demnat, gratia solvit opum."

De Orat II. 43. »Reos autem appello, non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur." Conf. ibid. Cap. 79.

Pactiones in patrociniis.] i. e. qui accepta pecunia causas susceperis. *Pactio* dicitur etiam in rejiciendis judicibus. Vid. Verr. I. 7.

Intercessiones – coitionibus.] *Coitiones* sunt h. l.
Con-

Conjunctiones in magistratu petendo. Vid. Gernh. ad h. l. et Ern. Cl. Cic. in voce. *Coitio* et *coire* semper fere accipiuntur in malam partem. Vid. Graevius ad pro Cluent. 52. Gron. et Drak. ad Liv. IV. 13. Simili potestate *conventus* dicuntur, apud Sall. B. C. 30. Ut *intercedere* in re pecuniari, sic et *interponere* usurpatur pro Milon. 9. »Convocabat tribus: se interponebat." Conf. Nepos Att. 2. 9. et Interpretes ad Phil. II. 18.

Expulsiones vicinorum.] Conf. Phil XIV. 3 »Aut ejiciunt vicinos."

Possessiones vacuas.] i. e. quae a nemine detinentur aut occupantur. Vid. Briss. de V. S. ibiq. Auct. ad Her. IV. 29. Conf. Heinr. ad Orat. pro Tull. 13. Nep. Timol. 3. »Bello vacuefactas possessiones."

Sullani temporis messem.] Verr. I. 16. Phil. VIII. 3.

Qui denique omnia venalia.] De hoc turpissimo mercatu. Vid. Verr. III. 62. Phil. II. 3. 14. 38. Sall. B. C. 10. 30.

Delectum – vocem, silentium.] Licet ab Eruditissimis Interpretibus aegre dissentiamus; h. l. tamen *delectum* non de militibus conscribendis, ut plurimis placere videmus, accipimus, sed de *delectu judicum*; quoniam sermo est de pecuniae vi in corrumpendis judiciis. Phil. V. 5. »Dilectus autem, et notatio judicum etiam in nostris civibus haberi solet." ibiq. Pet. Man. Phil. I. 6. »Alia causa est eorum, quorum silentio ignosco: alia eorum, quorum vocem requiro." in Pison. 13. »Quorum mens fuerit oppressa praemio, lingua adstricta mercede?"

Copiam–abundantia–dives.] De Orat. II. 35. »Nam orationis quidem copia videmus, ut abundent phi-

philosophi, – suscipiunt de qua copiose et abundanter loquantur." Auct. ad Her. IV. 17. »Egens aeque est is, qui non satis habet, et is, cui nihil satis potest esse." Rut. Lup. II. pag. 115 et 124.

De me silebo, de re loquar.] de Amic. 25. »Sed nihil de me: de Scipione dicam libentius." Liv. XXXIV. 5. »Rem defendam, non nos."

Mediocris – nulla – modica.] Phil VIII. 7. »Quorum est nemo – qui non mecum habeat aliquam conjunctionem gratiae; alii maximam, alii mediocrem; nemo nullam." De voce *modica*, conf. Goer. ad Fin V. 11.

An liberalitatem Africani, – hereditatis – concessit.] Pro Flacco 36. »Qui tam fuerit in hereditate concedenda liberalis."

Nulla possessio – virtus aestimanda est.] Hinc Auct. ad Her. IV. 14. »Nam si voles divitias cum virtute comparare, vix satis idoneae tibi videbuntur divitiae, quae virtutis pedisequae sint."

III. *Venio enim jam ad sumtuosos; relinquo istum quaestuosum.*] Brut. 86. »Omitto – venio." Cat. I. 6. »Praetermitto – venio." *Quaestus* et *sumtus* sibi opponuntur. Sall. B. C. 13 et 24.

Sexcenta – centena.] Gernh. monuit Man. et Laur. Vall. legere *sexcena.* quod probandum; solent enim numeri cardinales et distributivi in Mss. confundi. Vid. Drak. ad Liv. XXXII. 17.

In villis et sola marmorea facienti.] De Romanorum insania in villis aedificandis, vide Abram. ad Milon. 20. *Facienti* retinuimus cum Schutz. Habent etiam Codd. L. B. et Edit. princeps Mog. Cat. II. 9. »Hi dum aedificant – delectantur." Templum Romae primus ex marmore, molitus est Q. Metellus Macedonicus. Vid. Vell. Pat. I. 11. ibique docta Ruhnk. annotatio.

Non

Non modo ad sumtum ille est fructus, sed et. a. f. ex.] Sic omnes legunt post Lambinum, qui quam bene de hoc loco meritus sit, poterit judicari ex Cod. Voss. N°. 10. lectione, quam, ut verissimam in textum recipere non dubitavimus. »Non modo fructus ille ad sumtus, sed etiam ad foenus exiguus." Quae lectio ob quatuor terminationes *us* ansam praebuit variantibus. Cat. II. 8. »Quod si maturius facere voluissent, neque certare cum usuris fructibus praediorum." ibique Muret. et Schutz. Conf. Phil. XIV. 7. »Stultissime facit, si vitiis cum virtute contendit."

Detractis sumtibus cupiditatis – redundabit.] i. e. sublatis, amotis. Conf. de Orat I. 26. Fin. I. 11. Nepos Iph. 1. *Sumtus cupiditatis* dicuntur, pro Rab. Post. 16. »Turpes impensae cupiditatum." Similiter dixit Rut. Lup. pag. 116." Sumtum ambitionis." Ubi nostro loco usus est Ruhnk. Conf. Xen. Symp. IV. § 35. ὁ μὲν αὐτῶν τ'ἀρκοῦντα ἔχει καὶ περισσεύοντα τὰ τῆς δαπάνης, ὁ δὲ τοῦ παντὸς ἐνδεῖται.

Cui deest – superat – eget – abundat?] Fragm. pro Scauro pag. 1058. Ern. »Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas." Conf. de Orat II. 19. Orator. 67. Goer. ad Fin. II. 28. de Amic. 7. Nostrum locum non praetermisit Ciaccon. ad Sall. B. C. 21.

In hujus saeculi errore verser.] Pro Balbo 6. »Est enim haec seculi labes." Ubi malim. »Haec hujus seculi labes." Quoniam pron. *hujus*, ut inserendum ante *labes*, offendi adscriptum in marg. Cod. Voss. in Bibl. L. B. fol. N°. 302. Idem additur, Pro Coelio. 20. »Ab hujus seculi licentia." Phil. IV. 6. »Hujus seculi insolentiam vituperabat"

Ca-

Curios et Luscinos loquamur.] Simili forma. de Fin. II. 9. »Philosophus loquitur tria genera cupiditatum." ibiq. Goer. Conf. ibid. III. 2. »Saepius ista loquemur inter nos." ad Div. L. III. Ep. 4, 8.

Aediculas in Carinis.] De Carinarum situ vide Garat. ad Phil. II. 6. Non praetereatur venustissimus jocus Sexti Pompeji, qui Caesarem et Antonium in navi coena excipiens, dixit: »Hae sunt meae Carinae." Ludens in eo, quod Paterna domus ejus, erat in Carinis, quam tunc temporis tenebat Antonius. Vid. Vell. Pat. II. 77. ibique Plutarchus a Ruhnk. citatus et reprehensus.

Certissimaeque divitiae.] Quae dicuntur mox *res sempiternae.* Intellige *stabiles.* de Amic. 15. »Amicitiarum sua cuique permanet stabilis et certa possessio." Conf. Schutz. ad h. l. et Ruhnk. ad Rut. Lup. pag. 79.

Magno aestimant.] Conf. de Fin. III. 3. »Virtutem non magno aestimandam putem." Ubi Goer. memoria lapsus haec addit: »Nec usquam sic (scilicet *magno*,) ad *aestimo* legere meminimus." Ibidem IV. 23. »Nihilo aestimandum." Quod adscripsimus, quia nonnulli damnant ablativum.

Quasi.] Videantur Interpretes ad h. l. Eleganter ponitur pro *si qua.* Sensus est: Quod ei generi possessionum, si qua, certe minima ex parte, noceri potest. Conf. de Sen. 14. »At non est voluptatum tanta quasi titillatio." i. e. At, si qua est titillatio voluptatum, certe non est tanta. *Ei generi possessionum.* i. e. locorum vel agrorum, Videatur de Re Publ. II. 9. ibiq. Angelus Majus.

Eripi - surripi.] Verr. IV. 60. »Clam surripiat - eripiat palam, atque auferat." l. 4. »Sur-

»Surripi – eripi.“ Brutus 19. »Sumpsisti – surripuisti.“

Nec tempestatum – perturbatione mutatur.] i. e. Vi tempestatum. Conf. ad Div. V. 13. Commode ad h. l. Verr. III. 46. »Ceteros Leontinos, quibus non modo Apronius in agris, sed ne tempestas quidem ulla nocere potuit, exspectare nolite.“

Incertas et in casu positas.] Nonnulli addunt *possessiones*, ut Gernh. Nos cum Ern. et Schutz. omisimus. Sensus est: Quorum fortunae vel opes non fundatae, non optime sunt constitutae. Conf. pro Rab. Post. 1.

TANTUM.

ERRATA.

Pag. 5 l. 11. *Cato*[1]*?* lege *Cato?*

— 10 l. 21. *voilanda.* lege *violanda.*

— 14 l. 32. *esti.* lege *etsi.*

— 47 l. 10. *cum hominum.* lege *tum hominum.*

ERRATA.

Pag. 5 l. 11. *Cato*[1]*?* lege *Cato?*

— 10 l. 21. *voilanda.* lege *violanda.*

— 14 l. 32. *esti.* lege *etsi.*

— 47 l. 10. *cum hominum.* lege *tum*